

Johann Barthold Niemeier Ernst Heinrich Tübbesing


Disputatio Theologica Posterior De Gentilium Statu Atque Conditione Post Hanc Vitam

Helmestadii: Schnorrius, 1694

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746826494>

Druck Freier  Zugang





72.

Handwritten note on a small paper slip, possibly a library label or inventory mark, with illegible cursive text.

Fa - 1092 (72.)

Continentur in hoc Volumine:

i. Pauli Heigelii disf. de veritate unica religionis christiana, et aliarum, quae praeter hanc in mundo sunt, falsitate. Resp. Bernh. Kenckel. Helmstad. 1681.

ii. Metrophanis Cribpuli confessio catholica et apostolica in Oriente Ecclesiae Graecae conscripta, sed laetitate donata et edita à Joh. Homeio. Ibid. 1661.

iii. Eliae Veielii defensio exercitationis histor. Theolog. de Ecclesia Graecanica hodierna. Francof. 1666.

iv. Mich. Sircii Religio Moscovitica. Giesæ 1661.

v. Joh. Ern. Gerhardi disf. de Religione ritibus Ecclesiasticis Moscovitarum. Resp. Joh. Schwabe. Jena 1665.

vi. Quod. de statu Armeniae Ecclesiastico et politico tam pristino, quam hodierno. Resp. Mart. Kempio. Jena 1665.

vii. Abtnick raris scripturis an Ha. Ignacij Muellem, aut Germanon, in Ina Americani scripta provinciae Pennsylvania, fons Nova Suecia, de i. Aug. 1701. Ina J. Hand Ina kirche in America. Helmstad. 1702.

viii. Joh. Mich. Langii disf. de Alcorani versione, bus variis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, im, presis et hactenus anecdotis. Resp. Joh. Cons. Lob, Jena. Altdorfi 1704.

ix. Quod. disf. de specimenibus, conatibus variis atq. novissimis successibus Doctorum quorundam Virorum in edendo Alcorano Arabico. Resp. Georg. Mich. Schnitzlein. Altdorfi 1704.

x. Ejusd. de Alcorani prima inter Europeos editione Arabica, ante seculum, et quod excursus, in Italia per Paganinum Brixiansem facta, sed jussu Pontificis Romani peritus abolita. Resp. Mich. Cons. Ludwig. Altdorfi 1703.

xi. Math. Frid. Beckii specimen Arabicum, s. e. bria capitula Alcorani, xxx. de Roma, et xl. viii. de victoria, è IV. codicibus MSS. Arabice descripta, Latine versa et notis locupletata. Aug. Vindel. 1688.

xii. Joh. And. Schmitt historia Coelicolarum, ad tit. C. de Judaeis et Coelicol. Resp. Joh. Christian. Busmann. Helmstad. 1704.

xiii. Frid. Wl. Calixti disf. de Religione judaica et Judaeorum conversione. Resp. Valent. Herr. Voglerò. Ibid. 1686.

xiv. Christoph. Sonntagii disf. de Synagoga cum honore sepulta. Resp. Joh. Gottlob Casp. Altdor, fi 1702.

xv. Dav. Clodii disf. ex Her. III. 4. s. an speranda sit, signis quaedam Judaeorum conversio? Respond. Eberh. Ha, mel. Giesæ 1683.

XVI. Ad. Tribecchovii historia Naturalismi, à prima sua origine ad nostra usq; tempora. studio Joh. Tribecchovii filii. Senæ 1700.

XVII. Joh. Diecmanni disj. inaug. de Naturalismo tum aliorum, tum maximè Badini, ex opere ejus MS. anecdoto de abditis rerum sublimium arcanis. Senæ 1700.

XVIII. Joh. Pet. Grünbergis disj. de Atheorum religione Prudentum. Resp. Joh. Henr. Vjunantj. Rostoch. 1701.

XIX. Henr. Rixneri disj. de questione, an Aristoteles cognoverit creationem? Resp. Joh. Conr. Schneider. Helms. 1688.

XX. Joh. Nic. Hartsmiit disj. de Theologia Ciceronis, in quantum constat ex libris ejus de Divinat. et de natura Deorum. Resp. Joh. Dan. Groß. Argentor. 1696.

XXI. Joh. Andr. Schmidt's Theologia Hippocrati naturalis. Resp. Joh. Henr. Schmidt. Senæ 1691.

XXII. Ejusd. Seneca ejusq; Theologia. Resp. Mich. Frid. Lense. Ibid. 1686.

XXIII. Joh. Nic. Hartsmiit's Seneca notitia Dei naturalis. Resp. Joh. Georg. Resch. Argentor. 1696.

XXIV. Gerh. Titii disj. de insufficientia religionis mere naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem, et necessitate revelationum Divinarum supernaturalium. Op. posita libro Bar. Herbert de religione gentilium. Resp. Bernh. Hageman. Helms. 1667.

XXV. Joh. Bartholdi Nimeieri disj. de Gentilium statu et conditione post hanc vitam. Resp. Ern. Henr. Tübbsing. Helms. 1694.

XXVI. Ejusd. disj. posterior de eodem argumento. Resp.

Eodem. Ibid. eod.

XXVII. Joh. Fechtii disj. de statu infantium à Gentilibus progenitorum, cum in infantia decedunt. Resp. Jac. Henr. Zerneke. Rostoch. 1697.

XXVIII. Henr. Wideburgii fundamentum Theologie Fanaticæ de tribus partibus hominis, corpore, anima et spiritu. Resp. pro lic. Christoph. Tob. Wideburgio. Helms. 1695.

*Wijbe
N^o 1706.*

DISPUTATIO THEOLOGICA
POSTERIOR

DE

GENTILIIUM STATU
ATQVE CONDITIONE POST
HANC VITAM,

QUAM

D. O. M. A.

Consensu Venerandi Ordinis Theologici

IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

JOHANNES BARTHOLDO
NIEMEIERO

Phil. & SS. Theologiæ Doctore, Primæ Philosophiæ
nec non Logices Professore Publico &
Ordinariô,

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. VI. JUNIJ ANNI MDCCCXCIV.

Publico Eruditorum examini exponet

ERNESTUS HENRICUS *Subbesing*

Wolffenbüttelanus.

AUCTOR & RESPONDENS.



HELMESTADII,

Typis SALOMONIS SCHNORRII.

V I R O
SUMME VENERABILI ET MAGNIFICO
DN. CHRISTIANO SPECHTIO,
Ser^{monum} Ducum Brunsvic. ac Lüneburg. Consiliario
Ecclesiastico gravissimo, Cœnobii Ridda-
geshusani Abbati,

nec non

per Ducatum Brunsvico-Wolffenbüttelensem
Superintendenti Supremo,

Domino ac Patrono suo Magno

alterum hoc qualiscunque industriæ in sacris studiis
adhibitæ specimen in sui studiorumq; suorum
commendationem observantissimè

D. D. D.

ERNESTUS HENRICUS Tübbesing/
Wolffenbüttelanus.



Εὐν τῷ Θεῷ.

DE

GENTILIUM STATU ATQ; CONDITIONE
POST HANC VITAM

DISPUTATIO THEOLOGICA POSTERIOR.

§. I.

Sicuti non defuerunt, qui DEUM diris damnatorum tam spirituum, quam hominum cruciatibus tandem aliquando satiatum iri, neque poenas in infinitum exacturum, sed finem iisdem tandem aliquando statuendo miseros damnationi suò tempore ereptos beatitudini, ad quam primitus erant destinati, restitutum esse contenderunt, ita in Ecclesia quoque reperti sunt, qui spem salutis æternæ non ad solos credentes, atque ad vera Ecclesiæ membra restringendam esse sunt rati; sed eandem quoque ad gentes & ramos per infidelitatem defractus, nec per fidem stantes Rom. xi. 20. extendere non dubitarunt.

II. Atque inter illos, qui damnatorum poenas certò quòdam & definitò tempore circumscribentes æternas eas fore negarunt, principem fortè locum obtinet Origenes, ceu id aliunde præsertim verò ex Augustini libr. xxi. de C. D. cap. xvii. notum est, & Lutherus quoque in Epistola ad Rechenbergium notavit, nec non Lambertus Danaus ad Augustin. de Hæres. cap. xliii. observavit, de Origene dicens, quòd *penas non solum reproborum hominum, sed & diabolorum ipsorum fore negaverit æternas, sed mille annorum spatìò finendas: itaq; post hos exactos ipsos esse salvandos; seu ut Ludovicus Ellies DuPin Eccl. Aut. Bibl. nov. Tom. I. p. 212. mentè Origenis exprimit, fore aliquando, ut Diaboli serventur. Cujus sententiam qui amplectebantur, Misericordes sunt appellati; eorum verò opinionem superiori seculò Anabaptistæ recoxerunt, qui sentiebant, hominibus damnatis ac Diaboli finem poenarum futurum esse, ut constat ex A. C. Artic. xvii. quam sententiam quoque hòc nostrò seculò amplexus est*

D 2

est

est Ernestus Sonerus edito annō 1654. libello, quo demonstrare conatus fuit, quod aeterna impiorum supplicia non arguant Dei justitiam, sed injustitiam.

III. Ea verò sententia, quæ gentilibus, quamvis ad Christum non sint conversi, aded est benigna, ut aeternæ salutis spes ipsis facere non dubitet, nonnullorum primitivæ Ecclesiæ Patrum animos invalit; qui tamen non omnes promiscuè singulis gentilibus, sed iis potissimum, qui mundi Messia nondum manifestato, rectæ rationis ductum secuti unum Deum coluerunt, atq; ab idololatriæ crimine abstinentes puram sine crimine vitam egerunt, aeternam salutem adjudicârunt, arbitrati, his ipsis rectam rationem usque ad Christi adventum idem fuisse, quod Judæis ante eundem erat lex, Christianis verò exhibito mundi Servatore est fides in eundem. Quod si verò horum *δοκιμοτέτων* animabus aeterna salus eo ipso momento, quo è corpore sunt egressæ, non obtigerit, sed in carcere aliquandiu eæ fuerint detentæ, inde tamen eas sub adventum Christi evasisse & liberatas fuisse existimârunt. Unde factum, ut Platonem, Socratem, aliosq; aeternæ beatitudinis hæredibus associarint.

IV. Primus verò, qui in sententiam istam inclinavit, dubio procul fuit Justinus, Philosophus & martyr, qui *Aniceti*, Episcopi Romani, temporibus floruit, in Philosophi habitus divinam doctrinam asserens, & scriptis fidem defendens, ut Eusebius libr. IV. Histor. Eccles. cap. x. de eo loquitur. Is Stoicos primò sectatus est, post ad Peripateticos venit, dein cum à Pythagoræis, quod Mathesin non calleret, rejectus esset, Platonicos audivit, ex quorum disciplina ad Christianam fidem conversus nonnulla scriptis & Apologiis suis adversus Græcos intulit, quæ inter & hoc fuit: *Quicumq; μετ' λόγου cum ratione & Verbo vixere, Christiani sunt, quamvis ἄθεοι & nullius Numinis cultores habiti sint. Quales inter Græcos fuerunt Socrates & Heraclitus, aliq; iis similes: inter barbaros autem Abraham & Ananias, & Azarias, & Misael, & Elias, & alii complures.* — Proinde atq; ex Veteribus, qui itidem tempore Christum præcesserunt, & *ἀντὶ λόγου* absq; ratione & Verbo atatem exigere, *ἀγρηστοί*, hoc est, incommodi & inimici Christi fuerunt, eorumq; qui μετ' λόγου, secundum rationem & Verbum vixerunt, percussores. At qui μετ' λόγου, cum ratione & Verbo vixerunt, atq; etiam nunc vivunt, Christiani & extra metum atq; perturbationem sunt.

Ita

Ita ille in Apolog. ad Antonin. Pium. Alibi in Apologia priore *Socratem aliosq; ex parte Christum agnovisse* contendit. Et in Colloquio cum Tryphon. dicit: *Et illi, qui aternas Natura leges sequebantur, Deo placebant.*

V. Ceterum ob ambiguitatem vocis λόγου, quæ & rationem, suâ præsertim perfectione præditam, & λόγον ὑποστατικὸν apud Scriptores Ecclesiasticos denotat, difficile est de Justinî mente certi quid determinare. Dicunt nonnulli, Justinum statuisse, Christum esse verum & æternum Patris λόγον, omnis rationis & sapientiæ fontem, unde semina quædam hominibus implantata desumantur, ac sapientiæ rivuli quidam in homines deducantur, sicuti & quæ à Poëtis & Philosophis de moribus eorumq; honestate præclare sunt tradita, ea omnia *Ἀπὸ τὸ ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων ἀέριμα τῶ λόγου, ab innato toti generi humano rationis semine profuxerint, ac proinde ad Christum ejusque doctrinam accedant, eisq; conformia sint.* Certè, inquit Doctissimus Guilielmus Cave in Scriptorum Eccles. Historia literaria pag. 39. *non memini me observasse, Justinum alicubi affirmare, Gentiles extra religionis Christianæ professionem positos salvandos fore, neq; ad hanc rem sufficere nudam Philosophiæ cognitionem, verum id sibi tantum voluisse, quotquot inter illos innatò τῶ λόγῳ, ratione scilicet, ad Deum colendum vitamq; optimè instituendam rectè usi essent, Christo, aeterno τῶ λόγῳ, proximè accedere & eò usq; conformes esse.* Justinî verò mentem Ludov. Ellies du Pin Eccles. Autor. Bibl. nov. Tom. I. p. 94. ita describit: *In posteriori Apologia Justinus ait, eos qui rationis principiis congruenter vixerunt, ut Socratem, Heraclitum, Azariam, Misaelem &c. Christianos vocari posse, & supponere videtur, eos salvatos fuisse legi naturæ congruenter vivendo.*

VI. Post Justinum commemorandus est Clemens Alexandrinus, *vir inexhaustæ doctrinæ*, uti Casaubono Exercit. I. ad Baronii Annales non immeritò vocatur: siquidem & Alexandro Hierosolymitano est ἀνὴρ ἐνάργετος καὶ δόκιμος apud Eusebium libr. VI. cap. XI. Cyrillo verò Alexandrino & Theodorito Hæret. fab. libr. I. cap. VI. ἱερός ἀνὴρ καὶ πολυπειρία ἀπαντας δόλοισιν fuit appellatus. Is enim Legem & Philosophiam tanquam duo testamenta proponit, illam quidem Judæis, hanc verò gentibus, sed eundem ob finem datam. *Quemadmodum, inquit libr. IV. Strom. p. 636. Judæos Deus salvos esse voluit, dans eis Prophetas, ita etiam Gra-*

eorum spectatissimos propria sua lingua Prophetas excitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo secrevit. Et paucis interjectis. *Iis quidem, qui iusti erant ex lege, fides deerat. — Iis autem, qui erant iusti ex Philosophia, non solum opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent à cultu simulachrorum. Jam verò revelat à eis veritate ipsi quoque, poenitentia ducti sunt propter ea, quae fecerant. De Philosophia autem satis liberaliter lib. I. Strom. p. 309. dicit, quòd regali maxime doctrina & divinæ sapientiae viam praearet. Et p. 282. Philosophia (quam à Deo esse rectè docet,) Græcos pedagogi more ducebat, sicut lex Hebræos, ad Christum. Quibus consentientia habet lib. VII. Stromat. p. 710. Philosophia Græca veluti praeurgat & praearet animam ad fidem accipiendam, super quam veritas aedificat cognitionem. Rursus lib. I. Strom. p. 285. Philosophiam nudà ratione dicimus habere inquisitionem veritatis & naturae eorum, quae sunt. Hæc autem est veritas, de qua ipse dixit Dominus: Ego sum veritas. Alibi legem & Philosophiam non solum vocat Ἐσθμὸς ἡ ὑποβάτης & κτ' ἡρισὸν φιλοσοφίας, gradus & quasi scalas Christianæ Philosophiæ, verum etiam Philosophiam Græcos quondam per se justificans, se non dissimulat lib. I. Strom. p. 319.*

VII. Eadem viâ incessisse quoque videtur Tertullianus: siquidem & is lib. adv. Judæos ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendit non scriptam, quae naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Lex hæc non scripta nulla alia est, quàm lex naturæ: præter eam enim nulla alia naturaliter intelligitur; cuius proinde observatione Patres ante legem Moysi, atque ita ante Christum exhibitum, Deo placuisse Tertullianus perhibet.

IX. Arnobius lib. II. adv. gentes hanc gentilium objectionem proponit: Si (inquiunt) Christus in hoc missus à Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid secula commoverunt priora, quae ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumta sunt? Respondet autem ex intervallo: Deponite has curas & incognitas vobis linquite quaestiones, miseratio & illis impertita est regia, & equaliter per omnes divina beneficia cucurrerunt, conservata sunt, liberata sunt, & mortalitatis sortem conditionemque, posuerunt. Quò genere, quae, quomodo? Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset à vobis, jam dudum hæc scire potuistis auctore. Dicit itaque; divina beneficia, quæ inter quoque est salutis æternæ concessio, ante exhibitum mundi Servatorem per omnes gentes equaliter cucurrisse, eas esse conservatas, eas esse liberatas. Non itaque;

itaq; solum mortalitatis conditioni dicuntur esse exemptæ, sed & supplicii cruciatibusq; æternis, quæ *miseratio Dei* demum dicitur esse *regia*.

IX. Ab hac doctrina quoq; non fuit alienus S. Athanasius, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, Christianæ fidei adversus Arium strenuus propugnator, quippe qui in Oratione de salutari Christi adventu adversus Apollinarem animæ Adami periculo damnationis, in quod per peccatum inciderat, *ερεπτατων Καπεσποδων τω Θεω ηει δικαιοθετων εν τω φυσικω νομω*, *eorum, qui Deo per legem natura placuerunt, & iusti reputati sunt*, animas adjungit.

X. Hilarius Pictaviensis Enarratione in Psalmos, maximam partem ex Origenis Commentariis depromptâ, præcipuè in Psalm. LXIX. v. 29. pari ratione inquit: *Nec ambiguum est, eos in urventium libro esse, qui antea sine ulla Christi agnitione pie in lege versati omnia præscripta Legis impleverint*. In eadem quoq; verba Epiphanius hæref. LXVI. scribit: *Quapropter quandoquidem ab origine prima erat lux lucens velut scintilla in lege secundum naturam, quam ubi conspexit Enoch, complacuit Domino: per quam deductus Abel, complacuit Domino: per quam invenit Noë gratiam coram Deo, cognitâ viâ: per quam Abraham credidit Deo, & reputatum est ipsi ad justitiam*. Quibus alii extra Patriarcharum, è quibus Israelitæ orti, censum adjungunt alios, Melchisedechum, Hiobum, Jethronem, Ninivitas, Naamanem Syrum, Nabuchodonosarem, Cyrum, Darium Medum, & Apostolorum ætate Cornelium centurionem; de quibus tamen seorsim dicendi occasionem, quæ præsto est, ultrò dimitimus.

XI. Jungimus his Johannem Chrysofomum, itidem de hominibus, qui ante Christi adventum naturæ concefferunt, mitissimè sentientem, nec promiscuè his omnibus damnationem æternam tribuentem. Ita enim ille Homil. xxxvii. in Matth. *Poterant homines tunc (Christò in carne nondum manifestatò) etiam ipsum (Christum) non confessi salvari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus perebatur, sed ut idolorum cultu spretò unum solum Deum conditorem omnium noscerent*. Et post aliqua: *Quod autem qui ante Christum obierunt, ac idè ipsum non cognoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorârunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiscentur, audi, quid dicat Pau-*

lms:

lus: Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm
& gentili. (Rom. II. v. II.) Vides aperte retributiones bonorum istis repositas,
contra supplicia & pœnas illis, qui opposita effecerunt.

XII. His omnibus, quamvis ex intervallo, accedere potest Euthymius Zigabenus, Monachus Græcus, Seculi XII. scriptor, qui ad Matth. IX. 13. rationem redditurus, quare Christus non venerit ad vocandos justos, inquit: *quia justis sibi ipsi ad salutem sufficiebant.* Vid. Casaubon. Exercit. I. ad Annal. Baron. num. I. Add. Doctiff. Dn. Pfanneri System. Theol. gentil. purior. cap. XXII. §. 2. fqq.

XIII. Atque ista quidem Patrum nonnullorum peculiaris ab universâ autem Ecclesia haudquaquam recepta de iis, qui citra fidem salvificam ex hac vita decesserunt, fuit sententia. Nescimus verò quâ factum, quod & hujus opinionis nonnihil eorum quoque animis, qui à sinceritate fidei Christianæ recesserunt, sit illapsum. Basilides sanè, Gnosticorum princeps, quamvis fidem à salutis causis non excluderet, eam tamen naturalem esse perhibuit, quemadmodum & electionem nostram, pro cuiusque opere & merito: non autem esse Dei donum; ceu Lambertus Danæus ad Augustini libr. de Hæres. cap. III. annotavit. Quòd si ergò electio ad vitam ab uniuscujusque opere & merito dependet, Basilides facilè admiserit, gentiles quoque per bona sua opera in electorum classem fuisse evectos. Hunc secuti sunt Valentiniani, qui trinitatem hominum, ut Tertullianus loquitur, introduxerunt: Alios enim πνευματικούς, alios ψυχικούς, alios σαρκικούς vocabant. Sicuti verò τοὺς σαρκικούς à salute profusus excluderunt, τοὺς πνευματικούς autem ita in perfectione substantiæ esse firmatos perhibuerunt, ut quibus etiam in actionibus versentur, corrumpi non possint, ita τοὺς ψυχικούς exiguam à natura fidem habere, operibus autem bonis salvos fieri judicârunt; ceu videre est apud Irenæum, & qui hunc sequitur, Epiphanium Hæres. xxx. Lambertum Danæum ad Augustin. de Hæres. cap. XI. B. Hornejum Compend. Histor. Eccles. libr. II. cap. III. §. xxiii. Valentiniani igitur τοὺς ψυχικούς, quos vocabat, & vel nullam, vel oppiddò exiguam fidem habentibus, per legis, præsertim naturalis, observatiònem viam ad salutem æternam aperuerunt.

XIV. Sicuti verò in Valentinianorum hæresi Pelagianismi semina delitescunt, ita quid Pelagio hoc in negotio visum fuerit, indicare non erit intempestivum. Notum autem est, eundem negotio

gatō peccatō originali infantibus sine baptismo suscepto de-
dentibus spem consequendæ felicitatis fecisse, quam tamen non
in regno Dei, sed in loco quodam extra illud consequerentur.
Ita enim Augustinus de Hæres. cap. penult. *Etiam si non baptizen-
tur parvuli, promittunt tamen Pelagiani eis extra regnum quidem Dei,
sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.* Quod adultos
verò attinet, triplicem salutis viam juxta trium temporum diver-
sitate Pelagius alios hæreticos suam ætatem non ita longō in-
tervallō antecedentes, quorum Philastrius in Catalogo hæretico-
rum mentionem facit, secutus constituit. Etenim dixit, homines
ante legem salvos fuisse factos per naturam, deinceps per legem,
tandem autem per Christum. Sic ergō saltem eos, qui ante legem
per Moysen promulgatam vixerunt, Pelagius per legis naturæ o-
pera secundum naturæ vires exercita ad æternam salutem dedu-
ctos esse perhibuit. Quin imò dum Pelagiani contenderunt, ne-
minem qui liberi arbitrii viribus rectè utatur, damnari, & verò si-
mul docuerunt, omnes homines liberi arbitrii viribus rectè po-
seuti, quid ex eorum doctrina aliud consequitur, quàm neminem
damnari, omnes autem, etiam citra fidem in Christum salvari
posse? cùm juxta illos homo bonitate naturæ suæ *per propriam
voluntatem possit legem Dei implere, sive naturaliter in corde conscri-
ptam, sive in literis datam;* ut loquitur Epistola Synodica Concil.
Carthagin. ad Innocent. P. apud Augustinum.

XV. Ad tempora nostræ ætati propinquiora si accedimus, de-
prehendere licet, nec superiori, neque hōc ipsō seculō defuisse,
qui non solum gentiles ante legem Moysi promulgatam sine fide
salvifica degentes, verum etiam eos, qui lege promulgatâ extra
Ecclesiam Judaicam vixerunt, salutis æternæ compotes factos
esse perhibuerunt, imò & qui ulterius postquam *Evangelium an-
nunciatum est omni creature, & apud omnes gentes* Marc. xvi. 15. Luc.
xxiv. 47. *per quod, ex quo fides venit,* homines *servantur* Gal. III. 23.
I. Cor. xv. 2. illustre hoc beneficium Dei ad eos, qui ad Christum
huc usque non sunt conversi, extenderunt. Hos inter meritorū nu-
meramus Johannem Ludovicum Vivem, in Augustini libr. xix.
de C. D. cap. xlvi. ita scribentem: *Potuerunt, qui ex gentilibus na-
turam sequebantur Ancem, illam non pravis judicis opinionibusq; in-
natam*

*natam & corruptam, tam grati esse Deo, quam qui legem Mosaicam ser-
vaverunt: quod enim hi consecuti sunt per legem, illi consecuti essent sin-
lege: & qui tales fuere sine lege, eodem modo Judaei per venerunt, cum eodem
contenderent, nec inter eos aliud discrimen fuit, quam est, ceu quis viator
mandatam gerat charta itineris rationem, ac veluti formam, alter me-
moriam fidat aut iudicio. Ne verò de iis, qui nativitatem Christi an-
tecesserunt, hoc tantum intelligatur, statim subdit: Idem etiam no-
strò tempore continget ei, qui cum nihil de Christo audierit, in remotissimis
Oceani terris natus, duo illa maxima servavit mandata, in quibus veritas ip-
sa legem totam Prophetasq; constitutos affirmavit, de Deo & proximo di-
ligendis, huic sua conscientia est lex.*

XVI. Eadem sententia quoque Desiderio Erasmo arrisit, qui tamen non solum eos, qui secundum legem naturæ vivunt, sal-
vatos esse putat, sed & idololatrias, modò non tam ex proæresi,
quàm ex consuetudine tales fuerint. Vid. Præfat. ipsius in Cicer.
Quæst. Tusculan. Circa Concilii Tridentini tempora Franciscanus
quidam monachus palam asserere non est veritus, eos, qui
Christi cognitionem nullam habuissent, & alioquin vitam egissent honeste,
salutem esse consecutos. Id quod ex Rom. II. asserere conabatur. Re-
fert hoc Sleidanus Comment. de stat. Relig. libr. XXIII. ad ann.
1552. p. 747.

XVII. Ad Concilium Tridentinum à Rege Portugalliæ missus
fuit D. Jacobus à Payua de Andrade, Theologus. In iis verò, quæ
Justinus disputaverat, Socratem & Heraclitum, quia secundum rectam
rationem vixerint, fuisse Christianos: quæ Clemens dixit, Philosophiam per
se justificasse Græcos: quæ Epiphanius dixit, sine lege Mosaica & Evange-
lica, solâ lege naturæ, multos fuisse justificatos; Andrædus non quesivit
mitigationem, quæ sit analogâ fidei, sed sicut sonant, in ipso Concilio
Tridentino suscepit defendenda; inquit Chemnitius Exam. Concil.
Trident. de Operibus infidelium p. 108. qui etiam Thammeri facit
mentionem, ejusdemque profanas & contumeliosas de fide & salute
Philosophica sine verbo Dei & Spiritu Sancto opiniones non tam in ipso Con-
cilio Tridentini sine clanculum foveri, sed publicè omnibus amplexandas
& exosculandas proponi, illisq; qui verbò Dei prorsus caruerunt, salutem
liberaliter promitti conqueritur.

XIX. Sub finem superioris seculi, annò clò lō xcii. Franciscus
Puc.

Puccius, Fidilinus, luci publicæ commisit scriptum, de Christi Servatoris efficacia in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt &c. in quo inter alia contendit, fidem salvantem in unum Deum creatorem esse naturalem & omnibus hominibus communem, & tali fide priscos Patres esse justificatos. — Simplicem ignorantiam & incredulitatem Evangelii ac defectum Baptismi, ubi non sit scelus, nemini ad salutem obesse, — Vnumquemque hominem cujuscumq; sit religionis, modo homo sit, sine speciali Dei gratia salvari posse: modo non extremè sceleratam & omninò belluinam naturæ & Deo repugnantem vitam ducat. — In singulis hominibus esse hypostasim sive substantiam salvificæ fidei, ac proinde omnes aptos natos esse ad vitam æternam. Hominem, etiam post lapsum generis humani, habere naturaliter tantas vires humanas, ut possit resistere Diabolo, & vitam æternam consequi. Tàm liberalis fuit, ut ethnicis cœlum promiserit. Quâ de re videndus est Lucas Ossander Epit. Histor. Eccles. Centur. xvi. libr. iv. cap. xlvi. p. 1098, qui istos errores peculiari librò confutavit.

XIX. Quæ Puccius hõc pactò de salute homini citra gratiam Dei specialem ac citra fidem etiam extra Ecclesiam exspectanda in medium attulerat, radices quoque in animo Marci Antonii de Dominis, Episcopi Spalatini, fixerunt: siquidem & is gentilibus gratiam quandam generalem, & ex ea fidem aliqualem tribuit, quæ faciat, ut natura humana post lapsum non sit penitus mortua quoad spiritualia, sed habeat legem Dei in corde scriptam, & naturaliter ea, qua legis sunt, possit facere; per gratiam nimirum illam generalem, naturam adjuvantem, ut in opus exire possit. Per hanc gratiam ait, gentilem, si suam legem, quam habet in corde scriptam, seruet, assequi idem beneficium suo anima, quod assequitur bonus Judæus in circumcisione. Libr. vii. de Rep. Eccles. cap. xi. num. 15.

XX. Ad hoc institutum referendus quoque est liber de salute Aristotelis superiori seculò per Colonienfes Scholasticos editus, cujus mentionem facit Cornelius Agrippa libr. de vanit. scient. cap. liv. atque fortè idem ille est, quem & Oppenheimii prodiiisse scribit Höttingerus Disp. iix. quemq; Josua Stegmannus Disp. iiii. contra Photinianos Quæst. iiii. allegat. Is octo rationibus probare satagit, Aristotelem fuisse salvatum, de quæ eo sic judicat: sicut Johannes Baptista prodromus fuit Christi in gratia, ita Aristotelem ejusdem antecursorem appellari posse in naturalibus. Pertinebunt & huc

quodammodo Fortunii Liceti, in Archi-Gymnasio Bononiensi Philosophi, *De Pietate Aristotelis erga Deum & homines* libri duo in Italia Utini annò clo lcc XLV. editi, quorum copia nobis petentibus ex Sereniss. Ducum Brunsv. ac Lüneb. celeberrima Bibliotheca Guelpherbytana clementissimè est facta, in quibus contendit, cum Aristoteles unum Deum agnoverit, eundemque sincerè coluerit, insuper vir sapiens fuerit, *nec in animam malitiosam sapientia introëat, nec in corpore peccatis obnoxio habitet*, Sap. I. 4. isq; proinde secundum præscriptum legis naturæ vixerit, & alios vivere docuerit, ac si quid humani erroris ipsi obrepserit, id ipsum pœnitentiâ & lachrymis purgaverit, non ita ab omni veritatis specie alienum fore, si quis dixerit, Philosophum hunc misericordiâ divinâ, quam spe plenus intentâ mente imploraverit, non fuisse indignum, nec à vita æterna, quæ menti ipsius obversata fuit, eum alienum esse judicandum, præsertim cum discipuli morientem hujusmodi votò sint profecuti: *Qui Philosophorum animas excipit, & tuam colligat, in suis recondens thesauris, uti animam addecer recti hominis, & perfecti, qualem te novimus.*

XXI. Neq; aliâ de causa Johannes Episcopus Euchaitensis, teste Joh. Seldenò lib. I. de J. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum cap. II. de Platonis & Plutarchi salute precibus ad Christum disertè olim egit, quàm quòd salutis æternæ eosdem consortes fore arbitratus fuerit, sicuti nec aliam ob causam haud ita pridem Guido Patinus societatem Ciceronis, Virgillii, Aristotelis, Platonis, Juvenalis, Horatii, Galeni, (quibus Fernelium, Morellum, & Riolanum addit,) in Paradiso in epistolis suis annò clo lcc xxxiii. editis sibi exoptavit. Vid. Acta Erud. Lips. Tom. III. 251. Mirum verò quòd non & Herculis conversationem in Paradiso desiderarit, nisi fortè sibi à clava ejus metuerit; qui olim Viti Winsheimii in Zwinglium gentiles cœlo inferentem fuit jocus. Bernhardini de Caravajal Cardinalis, Jacobi Latomi, Trigautii Jesuitæ, Casalii, aliorumq; mentionem operosè facere nunc quidem brevitatè studiò superfedemus.

XXII. Sub finem superioris seculi Samuel Huberus, Bernas Helvetius, nonnulla Calvinianorum dogmata cœpit improbare, quæ ipsa dum effugere satègit, in contrarium lapsus est errorem, ut electionem ad solos filios Dei spectantem ad omnes homines

mines extenderit perhibens, ante omnem & sine omni respectu fidei, si-
ue homines credituri essent, siue non, omnes homines ita à Deo propter Chri-
stum electos esse, ut actu sint in gratia Dei, in numero dilectorum, electo-
rum, justificatorum, sanctificatorum, filiorum & heredum Dei; ex aequo
omnibus hominibus, propter Christum, à Deo remissa esse peccata, siue cre-
dant, siue non. Justificationem esse universalem, uti & salvationem &
glorificationem: & hac omnia absq; respectu fidei. Quò pacto sanè
non potuit non gentilibus quoque latam portam, per quam ag-
mine factò ad salutem æternam penetrent, aperire. Vid. Lucas
Oslander Epit. Histor. Eccles. l. c. cap. XLV. p. 1092. Potuissent ho-
minem ab hoc errore revocare vel sola Servatoris verba Matt. 22,
14. Multi sunt vocati, pauci verò sunt electi; sicut nec Scripturæ sacræ
dicta de voluntate Dei antecedente loquentia, de consequente vo-
luntate debuisset accipere. Ἔστι γὰρ τὸ θέλημα προηγουμένον. Ἔστι γὰρ
καὶ ἄλλο θέλημα. οὗτον θέλημα πρῶτον ἵνα μὴ ἀπολεσθῇ ἡμαρτηκότης.
θέλημα δευτέρον τὸ γενομένου κακούς ἀπολεσθῆναι. Est voluntas quadam
antecedens, est & alia voluntas, ut putà prima voluntas est, ut non pereant,
qui peccarunt, voluntas secunda, ut qui facti sunt mali pereant; inquit
Chrysoströmus Homil. I. in Epist. ad Ephesios.

XXIII. Ante verò quàm Huberus in eum, quem commemo-
ravimus, laberetur errorem, jam tum Huldericus Zwinglius hoc
sibi in mentem venire est passus, ut gentilibus quibusdam, putà
Herculi, Catonibus, Scipionibus aliisq; æternæ salutis possessio-
nem adjudicàrit, uti ex ipsius Exposit. Fid. ad Franciscum I. Tom.
II. p. 579. apparet; in specie de Seneca dixit, Deum fidem in cor
ipsius scripsisse, sine prædicatione Evangelii: id quod ex his Senecæ
Epist. xxxiv. verbis colligere annis est: Sic vivendum est, tan-
quam in conspectu Dei vivamus, sicq; cogitandum, tanquam aliquis in
pectus possit inspicere. Et part. I. Oper. f. 320. inquit Zwinglius:
Non est universale, quod qui fidem non habet, damnetur Quà in re quam-
vis adstipulatores nactus fuerit Gvalterum, generum suum, Bul-
lingerum aliosq; (Vid. Kromayer. Theol. Positivo-Polem. Artic. II.
p. 94. 95.) Christophorus tamen Wittichius Exercit. Theol.
IV. Zwinglium excusat, quòd non nisi per fidem extraordina-
riè concessam gentilium nonnullos salvos factos fuisse scripse-
rit in Declaratione de Peccato originali ad Urbanum Regium.

XXIV. Jacobus Arminius itidem in eam devenit sententiam,

homines ante legem Mosaicam latam salvos fuisse factos, modò
rectæ rationis legisq; cordibus humanis inscriptæ ductum fue-
rint secuti, eòq; pactò hodiernum multos salvari Christum igno-
rantes; hoc ipsum autem merito Christi à Deo dari perhibet, ut
ut homines isti de virtute ejus nihil sint edocti. Plurimum igitur
misericordiæ divinæ hoc in negotio tribuit, quâ factum esse
existimat, ut in horum hominum gratiam justitiæ divinæ ri-
gor meritò Christi sit temperatus. Factum ita, ut Remonstran-
tes in Apologia cap. XVI. ad §. 1. statuunt, *gratiam communem &
generalem omnibus per Evangelium, etiam non vocatis, à Deo collatam esse
& conferri, per quam idonei facti fuerint & fiant, ut Deo vocanti in suo
statu pareant. Eos autem qui beneficio gratiæ illius legi naturæ obsequuntur,
Deo gratos esse, & vel salute aeternâ per extraordinariam gratiam dona-
ri, vel beneficiis majoribus gradatim à Deo affici, ut ad salutem aeternam
pervenire possint.* Nec aliter Moses Amyraldus docuit. Etenim sa-
lutem aeternam sine Christi cognitione obtineri posse perhibuit;
in specie in Tractat. de Prædestin. duplicem prædicandi mo-
dum constituit, alterum quidem ministeriò verbi, quò fides in-
generetur, alterum per administrationem providentiæ divinæ,
quæ per misericordiam Dei ad salutem sit sufficiens, ac gentilibus
obtigerit. Mosen hunc Amyraldum defendit Steph. Curcellæus,
qui quamvis Institt. Relig. Christ. libr. I. c. x. cognitionem Christi iis,
qui eandem sibi parare potuerunt, absolutè necessariam esse ag-
noscat, eandem tamen pari necessitatis gradu ab iis haud exigit,
qui occasione ipsam consequendi sunt destituti, quippe quos absq;
fide in Christum per extraordinariam Dei gratiam salvari per-
hibet, ideò quòd rectæ rationis ductum secuti Deum, prout da-
tum fuerit, coluerint, proximumq; quantum in ipsis fuerit, di-
lexerint. Atque hoc ipsum impedire censuit, quò minùs ignis
aeterni cruciatibus adjudicentur. Et in Quatern. Diss. III. tantum
contemptoribus Evangelii salutem negat, eos autem omnes, qui-
bus Evangelium non sit prædicatum, excusatos habet. Cujus sen-
tentiam eruditâ Diatribâ pridem excussit Venerabilis Dn. Chri-
stianus Specht, Cœnobiî Riddageshusani Abbas &c.

XXV. Neque ab hac Remonstrantium sententia alienus est
Philippus à Limborch Theol. Christian. libr. IV. cap. IV. §. XIII. ubi
docet, *nihil repugnare, quò minùs redemptio in sanguine Christi im-
pute-*

putetur, non quidem vi promissi alicujus divini, sed per immensam gratiam divinam illis, qui, postquam mundo predicatus est Christus, eum absq; culpa sua ignorant. — Nihil repugnat, quin ex superabundante gratia plura Deus praestet, quam promiserit; semper tamen cum respectu ad Christum: adeo ut quaecunq; illis salus obtingat, ea ipsis detur propter Christum. Et sequi. c.xi. §.xiii. Quod si quidam gratia communi recte utantur, & pro virium sibi per illam concessarum modulo honestati naturali operam dent, illos etiam pro ratione status, in quo degunt, Deo gratos esse credimus, neq; a salute prorsus exclusos, saltem igni infernali non adjudicandos. — Si quos naturali lumine recte utentes in suo statu absq; ulteriore Evangelii luce oppetere contingat, iis vel salutem ob Christum, licet ipsis incognitum, ex superabundanti gratia donari credibile est; vel, si id nolumus, antequam divina bonitas eos ad inferni cruciatu damnare credatur, sicut triplex hominum in hoc aeo est status, credentium, incredulorum & ignorantium; ita etiam triplex post hanc vitam hominum status concedendus videtur, vita aeterna, qui est credentium; cruciatuum infernalium, qui est incredulorum: & praeter hosce status ignorantium.

XXVI. Proximum a Remonstrantibus locum dabimus Naturalistis, quos Gisbertus Voëtius Disp. de Libertate philosophandi §. 8. ita appellavit. Hos inter celebris est Edoardus Baro Herbert de Cherbury geminò scriptò, alterò quidem de veritate prout distinguitur a revelatione, a verisimili, a possibili, & a falso; alterò autem de Religione Gentilium, errorumq; apud eos causis contendens, religionem naturalem homines ad aeternam salutem deducere posse. Eam ipsam autem quinque capitum ambitu circumscribit, quos non nostri (Christiani) tantum, sed universi orbis coetus pro veris indubitatisq; habere debeant; cujusmodi sunt 1. Esse Deum summum. 2. eundem coli debere. 3. virtutem pietatemq; esse praecipuas partes cultus divini. 4. dolendum esse ob peccata, atque abs iis resipiscendum. 5. dari ex bonitate justitiaq; divina premium vel poenam, tum in hac vita, tum post hanc vitam. Quos ipsos quinque articulos cum optima ad meliorem vitam amplectendam media haberi debere contendat, eos verò ex religionibus legibusq; gentilium elicitos esse fateatur, quid prohibet, quò minus gentilibus, saltem moratoribus, citra Christi, extra quem tamen non est salus Actor. IV. 12. cognitionem spem salutis aeternae liberali manu faciat, imo ipsimet eandem ultrò sibi sumant? Etenim jam tum Augustini temporibus multi gloriabantur de operibus; & ipse

ipse Augustinus invenit multos paganos nolle fieri Christianos, quia quasi
sufficiunt sibi de bona vita sua. Bene vivere opus esse ait (paganus:) *Quid
mihi praecepturus est Christus? ut bene vivam? jam bene vivo. Quid
mihi necessarius est Christus? nullum homicidium, nullum furtum, nullam
rapinam facio, res alienas non concupisco, nullò adulterio contaminor. Nam
invenitur in vita mea aliquid, quod reprehendatur, & qui reprehenderit
faciat Christianum.* Vid. Augustini Praefatio Enarrationis in Ps. 31.

XXVII. Excipiat hos ipsos Autor Tractatus de libertate philo-
sophandi, quem Benedictum Spinozam esse constat. Is pariter
cultum Dei ejusq; obedientiam in sola justitia & charitate sive amore erga
proximum consistere, omnesq; qui hac vivendi ratione Deo obediunt, salvos
tantum esse, Deumq; paenitentibus peccata condonare perhibens genti-
libus, praesertim cultioribus, non parum aequus est, eosq; de salu-
te aeterna securos reddit. Uterq; verò & Herbertus & Spinoza
Thomae Campanellae vineta cecidisse videntur, quippe qui in
Atheismo triumphato, quem vocat, *gentes absq; Christo viventes ni-
hilominus Christianas*, minimùm à Christo in quacumq; natione non alic-
nas esse pronunciat, secutas quippe *unam legem religionemq; natu-
ralem, quam mundus habet, & cujus reliqua leges naturales*, imò & reli-
giones, *quaedam sint specificationes*, ac proinde à Christo, etiam ante
incarnationem ipsius salvatos esse omnes homines *lumini naturae non re-
belles.*

XXIIX. His ipsis recensendis dum intenti sumus, ex Sereniff.
Ducum Brunsvicensium ac Lüneburgensium celeberrima Biblio-
theca Guelpherbytana in manus nostras incidit Francisci de la
Mothe le Vayez Tractatus de virtute paganorum sive Gentili-
um Gallicâ linguâ concinnatus, è quo pauca ad rem praesentem
facientia sunt delibanda. Quemadmodum verò Pelagium tri-
plicem salutis viam juxta trium temporum diversitatem adstru-
xisse supra §. XIV. observavimus, ita hic ipse Autor habita rati-
one gentilium, non quorumvis, sed eorum praecipuè qui secun-
dum virtutem vixerunt, quosq; moraliter bonos fuisse opinamur,
triplex tempus, & pro illo triplicem statum in ordine ad eorum
salutem aeternam constituit. Primum tempus ab Adamo usque
ad circumcisionem Abrahami lapsum vocat *tempus & statum juris
naturae*. Sicuti verò gentes in viâ salutis beneficio Conditoris con-
stitutæ esse dicuntur, ita & illæ per bonitatem & misericordiam
Dei

Dei aptæ esse redditæ perhibentur, ad finem creationis suæ h. e. felicitatem æternam, tanquam recenter ex manu Creatoris sui prodeuntes, capeſſendum. Quâ etiam bonitate & miſericordiâ divinâ ſalutis obſtacula ſemôta eſſe dicuntur. Quamvis enim peccati originis reatum fide oporteat amoveri, illius tamen fidei abſentiam iſto tempore hos homines æquè minus à ſalute æterna arcuiſſe putat citatus Autor, quam Sacramentorum non quidem contemptus, attamen defectus & privatio hominum ſaluti ob- eſt. Peccata actualia, ſi qua ab his hominibus in iſto ſtatu & tempore commiſſa fuerint, ait, illa partim pœnitentiâ & contritione, quam gratia & miſericordia divina ſupernaturalis adjuverit, deleta, partim aliis ſecundum virtutem præſtitis operibus compenſata eſſe; quæ verò ab his hominibus omiſſa cenſeri queant, ea ſic conſiderat, ac ſi deficiente revelatione nondum illis lex lata atq; inde nata obligatio ſit: *ubi autem non eſt lex, ibi nec transgreſſionem eſſe.* Rom. IV. 15.

XXIX. De ſecundo tempore, quod ab Abrahami circumciſione uſque ad Servatoris exhibitionem in carne fluxit, atq; ſtatu in eodem ita cenſet memoratus Autor: Hunc ſtatum omninò videri fidem requiſiſſe: ſiquidem *Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Gal. III. 6. Interim tamen confidit univerſalitati promiſſionis divinæ, quâ certi reddimur Deum ita ſalvos velle omnes omninò homines, ut nulla apud eum ſit *ωεγωσποληψία*. Nititur etiam eâ Scholaſticorum hypotheſi, quòd *Deus gratiam ſuam nunquam illis denegat, qui omnia tentant, quæ poſſunt, ut divinâ gratiâ ſe dignos reddant.* Hoc verò feciſſe ait gentiles iſtius ævi luminis naturæ ductum ſequentes, (nam de improbis & rectæ rationi reluctantibus ſermonem non eſſe, iterum iterumque monet,) eosq; legem de diligendo Deo & proximo impleviſſe; ideoque fieri aliter non potuiſſe, quin à Deo unicuique ſecundum opera reddenti Rom. II. 6. ſalutem æternam, tanquam finem, ad quem ſint conditi, obtinuerint. Quamvis ergò homines extra Eccleſiam Iſraëliticam conſtituti non habuerint explicitam illam fidem, quâ Patriarchæ & primores Judæorum in Meſſiam venturum nixi ſunt, eam tamen ab his hominibus tanquam acquiſitu impoſſibilem non eſſe exigendam contendit, cum ad impoſſibilia nulla ſit obligatio. Ideoque his hominibus implicitam fidem

F
haud-

haudquaquam ipsis denegandam suffecisse arbitratur. Cui instituto non parum favere persuasus est, quæ Apoc. VII. 9. 10. commemorantur.

XXX. Tertium tempus, quod à Christi Incarnatione usque ad seculi consummationem labitur, & statum ejusdem quod atinet, ingenuè quidem fatetur memoratus Autor, fidem implicitam non amplius sufficere, sed explicitam requiri, attamen non nisi ab iis, quibus verbi divini annunciatio & prædicatio Evangelii obtigit. Quibus verò eadem non obvenit, eos istò locò habendos esse ait, qui invincibili aliquà ignorantia laborant, cujus opposita cognitio acquisitu moraliter sit impossibilis, ac proinde ad quam, tanquam impossibilem, nulla sit obligatio. Cumque videat sibi obsutura esse ea Scripturæ loca, quæ Evangelium in toto terrarum orbe prædicatum iri disertè indicant, ea figuratè accipit, inq; iis *ἀνεπίστατον* Rhetoricam quærit, non secus ac ista in eo videtur esse, quòd Alexander M. totum terrarum orbem devicisse I. Maccab. I. 10. & Augustus Imperator *πῶσιν τῶν ἀνομιεῶν* descripsisse Luc. II. 1. dicatur. Ac tandem partem primam Operis istius hunc in sensum obsignat: *Quemadmodum de condemnatione maxima partis gentilium, qui in sua infidelitate & idololatria extincti sunt, dubitare non possumus, ita nec de Dei misericordia ratione illorum gentilium, qui in actionibus suis rectam rationem secuti sunt, perq; illam fidem implicitam nostri Servatoris supernaturali aliquà gratiâ fortassis adjutam habuerunt, & cujus beneficiò ab imminente aeterno exitio sunt retracti, debemus desperare.*

XXXI. Opera pretium esset singula hæc seorsim examinare, & plurimas ab hoc Autore admissas petitiones *τῶν ἐν δεξιῇ* peculiariter ob oculos ponere; quod tamen cum nimis prolixum futurum sit, paucis ea attingemus, quæ dictus Autor cum aliis in hanc sententiam inclinantibus habet communia, reliqua alii occasione, vel etiam ipsi conflictui servabimus. Interim in nostra recensionem pergimus ad hodiernos fanaticos, quos inter præcipui sunt Quakeri, & qui nuper admodum similes errores spargere sunt annisi, quos tamen ex Valentini Weigelii malè confitis hortis malè olentes flosculos decerpisse non temerè quis suspicabitur. Quamvis enim ipse Weigelius quid animi sibi circa præsentem quæstionem fuerit, non ita disertè profiteatur, quin tamen

ed

ed propendeat, quod gentiles, sicuti fidem internam lumine natura accensam alere ipsi dicuntur, ita & a salutis aeternae participatione non sint excludendi, vix patitur dubitationem. De naturali & insito lumine, per quod homines ad salutem illuminentur, agit in GuldenGriff cap. xix. & alibi. De gentiliū salute nonnulla habet in Possill, part. I. p. 140. Et part. poster. pag. 95. Sie wissen nicht/ daß Gott seine Feinde liebet/ und tauffe alle Kinder unter allen Völkern/ Heyden und Sprachen mit seinem heiligen Geist.

XXXII. Multò clarius Robertus Barclajus in Apologia pro Theologia verè Christiana th. V. dicit, *Christum*, lumen illud omnem hominem venientem in mundum illuminans, *perfecturum salutem omnium, ni obstant, quæ salus non minus est universalis, quàm est semen peccati.* Et th. VI. *Sicut ex antiquis Philosophis aliqui vitam aeternam sunt consecuti, ita & nunc possunt quidam (quos nascendi fors posuit in remotis mundi partibus, ubi historia cognitio deest,) participes fieri mysterii divini, si gratiam illam, cujus manifestatio unicuiq; datur ad utilitatem, recipiant.* Addatur Wilhelmi Catoni Appendix Apologiae, in qua ostendere satagit, Philosophos gentiliū Christi, veri illius λόγος, cognitionem habuisse, deq; eodem testimonium interposuisse. Quod sanè non alium in finem adducit, quàm ut his aeternam salutem tantò majori specie possit attribuere.

XXXIII. Eodem tendit quoque Autor Epistolæ ad Theologos, quâ novas visiones & revelationes commendat, dum §. 17. pag. 29. Christum ita loquentem introducit: Dennoch ist meine ewige Liebe gleich gegen alle Menschen / denn Ich sehe nicht an die Person / sondern der recht thut / und hält meine Gebot / der ist mir angenehm / darum bezeuge ich / daß ich auf eine verborgene und geistliche Art mich offenbare in dieser ihrem Geist. Et §. 28. p. 62. 63. Wie solte ich / Christus / der ich die ewige Erbarmung bin / eine Auserwehlung machen? das sey ferne von meiner allgemeinen grossen Barmherzigkeit. — Was solte mich bewegen / einem mehr Gnade zur Seeligkeit zu erweisen / als dem andern? das sey ferne von meiner Treue. Rursus §. 32. p. 77. & 79. ad quæstionem: Ob der in der heiligen Schrift so hoch gepriesene barmherzige Gott die Heyden / und auch die / so etwa in einer falschen Religion / es sey unter denen Juden oder Christen / stehende Personen ohne Unterscheid ewig verwerffen wolte? inter alia hoc fuisse

fuisse responsum perhibet: Die Unwissenden Völcker aber verwerf-
fe niemand schlechter Dings/ denn wer wil sie richten/ als ich? und mein
Richten ist gerecht/ und darum werden sie nicht gerichtet zum Ver-
derben/ sonst wäre ich nicht gerecht. Supponitur autem in verbis
præcedentibus conditio istiusmodi: doch also/ daß sie mich/ den ewi-
gen Sohn des Vaters mit besserem Wissen/ das ist/ in der Über-
zeugung nicht verläugnen.

XXXIV. Superiori quoque anno produit Dantis scriptum
Germanicum von Göttlicher Erkantnis der Heidnischen Philoso-
phorum; in quo dum Autor eos reprehendit, qui gentilibus om-
nem veram de Deo cognitionem denegant, ipse eò usque pro-
greditur, ut non solum ardua religionis Christianæ mysteria
gentilium sapientioribus cognita fuisse, sed & eosdem, utpote
veros Christianos, per hanc cognitionem ad salutis æternæ per-
ceptionem penetrasse perhibeat. A Platone Christum appella-
tum esse dicit λόγον πάντων θεϊότατον, per quem mundus sit con-
ditus, & de hoc Philosopho ista subjungit verba: Des verwun-
dert sich der Seelige am ersten/ und hat eine Begierde dasselbe zu er-
kennen/ so viel der tödlichen Natur möglich ist/ lehrende hiemit/ daß
das Menschliche Gemüht allzu klein sey/ die vollkommene Erkantnis
zu erlangen. Et cum nonnulla de lumine interno admisuisset, ita
pergit: darum was du oder jener anders ihme mag einbilden/ als
habe er Theil am Reiche Gottes durch Wissenschaft oder Beyfall
der Historie von Christi Leiden/ Sterben und Himmelfahrt/ davon
in heil. Schrift geschrieben stehet/ und durch Zueignunge seines Ver-
dienstes zur Seeligkeit/ so aus diesen so genannten Heiden/ jedoch rech-
ten Christen/ den wahren wesentlichen Gott nicht kömst in dir zu
erkennen/ und dich selbst drum wiedergeboren zu seyn/ so wirstu be-
funden werden elendiglich/ und wie Paulus II. Cor. XIII. 5. redet/ nur
ein Verworffener zu seyn/ da hingegen diese fromme Leute/ welche
gezeuget haben von diesem göttlichen Geiste/ Wort und Sohn Got-
tes/ und desselben kräftige Wirkung in Ihm dem Herren werden
angenehm seyn/ und für rechte Christen werden ausgesprochen wer-
den. Hæc ille.

XXXV. Quod autem hi, de quibus hactenus verba fecimus,
de gentibus asseruerunt, hoc ipsum alii ad quamlibet religionem
promiscuè traxerunt, nullamque earum quenquam à salute æterna
arcere

arcere ausi sunt contendere. His ipsis prælusit Rhetorius, cuius mentionē facit Philastrius in Catal. Hæres. n. 90. Is enim docebat, *omnis religiones, modo habeant intentionem & conatam colendi Deum, recte sentire, ut loquitur Chemnitius Exam. Concil. Trident. p. 109. imò omnes laudabat hæreses, (hæreticos) dicens, omnes bene sentire, & neminem errare ex iis, sed ambulare bene omnes illos, & male illos non credere.* Quam ipsam sententiam attingit quoq; Augustinus de Hæres. cap. LXXII. istis tamen *absurdis, qua incredibilia videntur, eam accenset.* Religionum hic Indifferentismus, qui non Christianis tantum, sed & Judæis atq; Turcis, imò & gentilibus modò naturæ convenienter vivant, salutem æternam spondet, quemq; jam tum Sec. VII. Mahummetes asseruit, superiori sæculò Sebastiano quoque Castalioni ita dicitur arrisisse, ut statuerit, homines promiscuè quamcunq; religionem posse profiteri, teste G. Marcellò in Conspectu Chronologia; eum etiam amplexi sunt Weigeliani fanatici contendentes, *absque cognitione Christi Judæos, Turcas, & Gentiles optimè salvari posse, unamq; esse universalem religionem communem omnibus populis,* hòc nomine à B. Nicolao Hunnio in libro, cui titulus est: *Ausführlicher Bericht von der neuen Propheten (Die sich Er'euchtete/ Gottesgelahrte/ und Theosophos nennen) Religion/ Lehr und Glauben;* reprehensi. In specie hunc religionum indifferentissimum defendit Angelus Marianus (qui dicitur esse Johan. Angelus Werdenhagen) in libello annò 1632. edito, cuius titulus est: *Eröffnete Herzens-Pforte vom wahren Reich Gottes.* Huc etiam propendet Antonia Bourignonia, ceu videre est apud Clariss. Colbergium in *Platonisch/ Hermetischen Christenthum part. I. cap. x. pag. 406. & Autorem Defensionis Relationis Lipsiensis de Antonia Bourignonia pag. 131. sqq.* Defendit etiam hunc religionum indifferentissimum Autor *Tractatus de ratione humana,* cuius summa capita recensent Collectores Actorum Eruditorum Lipf. Tom. I. in ann. 1683. p. 306. qui *nec Turcis, nec idololatriis, nec ipsis arboribus cælum claudit.* Cumq; eadem propemodum opinio per Belgium serpere inciperet, Synodus Gallo-Belgica annò clo lxxc. Amstelodami coacta damnavit illam doctrinam, quâ asseritur, *quòd salus obtineri possit in omni religione, dum adsit bona fides & intentio.*

XXXII. Ex quibus patet, non abs re asseruisse Apologiam A. C. de Dilect. & Implet. Leg. Responf. ad Argum. Advers. p. 142.

F 3

Idèò

*Ideo semper existerunt in mundo, qui hanc carnalem iustitiam solam do-
cuerunt, oppressa iustitia fidei, & tales Doctores semper etiam existent.*

XXXVII. Postquam verò non paucos in medium produximus, qui de Gentilium salute optima quaq; sperant, ordinis ratio postulat, ut fundamenta, quibus hæc eorum sententia nititur, attingamus. Ista verò diversa sunt. Alii namque hunc effectum gratiæ & misericordiæ divinæ transcribunt, quam tamen nunc solummodo generalem esse ajunt, nunc fidem aliqualem, licet citra verbum divinum, accendentem, nunc lumen salutariter congenerantem, nunc eam extraordinariam esse volunt intuitu meriti Christi, quamvis non agniti, oblatam. Alii verò rem istam tanquam effectum iustitiæ divinæ considerant, qui non possit gentibus denegari, vel ob ignorantiam invincibilem culpæ expertem ac proinde excusationem jure suo merentem, vel ob præclara honestatis facta, quæ remuneratione non possint esse indigna. Tandem alii gentium ignorantiam respicientes cælum quidem iisdem non recludunt, sed extra illud locum atque statum beatitudinis assignant.

XXXIIX. Antequam singula ista seorsim expendamus, de sanctæ Ecclesiæ Patrum doctrinis supra recensitis non nihil est præmonendum, ne quis eorum autoritate animum occupari patiatur. Sciendum itaque i. est, istam Patrum nonnullorum sententiam in hoc negotio prorsus esse peculiarem, neque Ecclesiæ catholicæ consensu niti, eosq; à reliquis Doctoribus omnibus deseri. Quod si autem etiam in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur, tunc omnino curandum est, ut paucorum temeritati vel inscitia, si qua sunt, universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponantur. — Et quicquid non unus, aut duo, sed omnes pariter uno eodemq; consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripisse, docuisse cognoscitur, id quisq; sibi quoq; intelligat absq; dubitatione ulla credendum; inquit Vincentius Lerinensis in Commonitor. cap. IV. 2. Sciendum, Patres interdum minùs cautè esse locutos, nec semper juxta Scripturæ morem, verba tamen non semper eò rigore esse accipienda, quò primum ad aures auditorum perveniunt; ut Sixtus Senensis Bibliothecæ sanctæ, quam vocat, libr. VII. Annot. CLII loquitur. Excusationem itaq; nonnunquam pro ratione circumstan-

stantiarum inveniunt, quæ ex aliis eorum doctrinis est petenda. Ideoq; 3. de Patrum minus cauta assertione in hoc negotio non immeritò usurpamus verba Augustini in Enchirid. cap. lxxvii. *Qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humanâ quâdam benevolentia mihi falli videntur.* Quibus & hoc ejusdem Augustini dictum addimus; *Qui error in sanctis novi instar est, is in pravis Doctoribus est tartarea fulgor.*

XXXIX. Ceterum qui ad eò mitissimè de gentilibus sentiunt, inter alia in gratia & misericordia divinæ causæ suæ patrocinium solent querere, quam quidem *generalem* vocant, talem tamen non esse dicunt, quâ Deus totum hoc universum fovet: *miseretur enim omnium operum suorum,* Sap. xi. 24. sed quâ erga homines in ordine ad æternam salutem ipsis conferendam est affectus. De ea sanè luculentum testimonium perhiberi dicunt Psalm. LXXVII. v. 8. 9. 10. *Numquid in secula repellet me Dominus, nec addet, ut bene velit adhuc? Numquid in seculum defecit misericordia ejus? defecit verbum in generationem & generationem? Numquid oblitus est misereri Deus? num conclusit in ira misericordias suas?* 1. Tim. II. v. 4. *Deus omnes homines vult servari & ad agnitionem veritatis venire.* II. Petr. III. 9. *Non tardat Dominus, qui promisit (adventum,) sed patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed (volens potius) omnes ad resipiscentiam tendere.* Quæ conformia sunt verbis ipsius Dei Ezech. xxxiii. II. *Vivo ego! nolo mortem impij (mortem in peccato & hanc secutam, mortem æternam,) sed ut convertatur & vivat.* Id quod, ut de voluntate serâ tantò magis constet, non solum de impij, qui convertitur, sed & de impij morientis morte est accipiendum: nam neq; hanc se velle Deus affirmat Ezech. xix. 32. Conf. Rom. V. 8. 10. I. Petr. I. 8. Atque hæc gratia & misericordia divina non ad paucos tantum homines pertinet, sed omnibus est oblata. *Non enim est personarum acceptio apud Deum.* Rom. II. II. Ephes. VI. 9. Et Act. X. 34. Petrus apertò ore profitemur: *in veritate comperio, Deum non accipere personam, sed in omni gente acceptum ei esse, qui ipsum timeat & operetur justitiam.* Hujus gratiæ generalis effectum Marcus Antonius de Dominis dicit esse, quòd boni gentilium motus non fuerint in herba suffocati & suppressi, sed in actum externum traducti, quibus etiam *idem anima beneficium gentilis obtineat, quod bonus Judæus assequitur in circumcisione.*

XL. Fatemur omnino, magnam imò nostro encomio longè superiorem esse Dei *φιλανθρωπίαν* atque misericordiam; fatemur etiam gratiam hanc divinam inter salutis nostræ causas locum invenire: imò etiam hoc fatemur, gratiam illam omnibus hominibus esse oblatam; attamen & hoc certum esse debet, eam non absolutè hominibus esse oblatam, sed si homines salvari ejus effectu frui cupiverint, à parte eorum certam requiri conditionem adimplendam, quæ nulla alia est, quàm fides in Christum, sanctissima ejus merita sibi applicans, atque ita ad certum individuum eadem pertrahens. Hinc qui *electi* sunt, *electi* sunt *κτ̄ ωεγωσων* θεοῦ Πατρὸς, secundum præscientiam Dei Patris, I. Petr. I. 1. 2. Rom. IX. 29. imò *κτ̄ περὶ θεοῦ* secundum propositum ejus (DEI,) qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Ephes. I. II. Nihil verò est, quod in homine, cui meritum Christi sit imputandum, quiq̃ salutis æternæ sit destinandus, à Deo prævisum fuerit, quàm fides in Christum; nullum etiam aliud est propositum & consilium voluntatis Dei, quàm cujus indicium factum est ab ipso Servatore Joh. VI. 40. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

XLI. Quamvis ergò gratia & misericordia Dei omnibus fuerit oblata, atque hæc ratione Deus non sit *ωεγωσωπολήτης*, ea tamen oblatio demum facta fuit secundum voluntatem Dei antecedentem: ab hac verò finis intentione ad ejusdem consecutionem non licet instituere collectionem: neque enim hujus gratiæ & misericordiæ fructu ulli gaudent alii, nisi credentes, idq̃ secundum voluntatem Dei consequentem; reliquos verò culpâ suâ à vera fide alienos, quales gentiles esse toties diximus, secundum eandem voluntatem Dei consequentem potius justitiæ & iræ divinæ rigor premit: siquidem non solum Deum misericordem statuere oportet, verum etiam justum, sicuti & misericordia & justitia divina conjunguntur Rom. XI. 22. *Vide igitur benignitatem atq̃ severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate: alioquin & tu excideris. Et cap. II. 8. 9. 10. Iis, qui veritati quidem non obtemperant, sed obtemperant injustitiæ, reddetur excandescencia & ira: oppressio & angustia adversus omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi inprimis, tum*

eti-

etiam Graci; gloria verò & honor & pax cuius operanti bonum, cum Ju-
dæo imprimis, tum & Græco.

XLII. In eo quoque fallitur Marcus Antonius de Dominis, quòd
arbitretur, bonos gentiliùm motus in actum externum secun-
dum gratiam Dei generalem abeuntes ipsis ad salutem profuisse.
Etenim ex quo status integritatis fuit deperditus, per opera legis
homo salutem obtinere nequit. Ephes. II. 5. 8. 9. Rom. III. 20. cap.
XI. 5. 6. Gal. II. 16. 21. cap. III. 21. Ut de eo non dicatur, opera illa
majori laborasse imperfectione, pluribusque defectibus apud gen-
tiles inquinata fuisse, quàm ut medium ad salutem perveniendi
esse potuerint. Malè etiam supponitur, Judæos per opera legis
sub pacto Mosaico salutem æternam esse consecutos: siquidem
tantum effectum non legi, aut legis observationi, sed fidei ipso-
rum tribui par est, eumq; consecuti sunt vi pacti Evangelici,
quod neque per pactum Abrahamicum, neque per pactum Mo-
saicum fuit sublatum. Unde notanter Petrus Actor. xv. ii. inque-
bat: *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos servatum iri, quem-
admodum & illos, Patres nostros.*

XLIII. Alii 2. gratiam & misericordiam Dei gentibus ad salutem
in incredulitate sua affulgentem ita describunt, ac si per illam fides
aliqua in horum animis, quamvis citra verbi divini prædicatio-
nem, accendatur. Hoc beneficium Senecæ aliisq; & quidem se-
cundum gratiam aliquam extraordinariam, contigisse nonnulli
sunt opinati, quorum §. xxiii. fecimus mentionem. Andradius apud
Chemnitium l. c. dicit, *nullum dubium esse, fidem necessariam esse ad
justitiam & vitam æternam: justus enim ex fide vivit; illam verò fidem
& veram Dei cognitionem ad justitiam & salutem æternam non ex sacris
tantum literis, divinisq; oraculis, sed ex rebus etiam iis, qua sensibus sub-
jiciuntur, haberi posse.* Rursus ait: *Philosophos illà fide Deiq; cognitione
non fuisse destitutos; per quam impius justificatur, & ex qua justus vivit;
imò non posse Deum vel ab injustitia, vel a crudelitate defendi, si non ar-
bitremur, ad salutem satis fuisse illam Dei notitiam, qua & naturaliter
hominum mentibus insita est, & consideratione creaturarum acquiri potest.*
Cumq; objectum ei esset, cognitionem illam, quam lumen natu-
ræ de Deo promittit, esse tantum generalem, præter hanc verò
requiri specialiozem, quæ fidem salvificam accendat, eam verò
à revelatione divina pendere, nec aliunde, nisi ex verbo Dei hau-
riri;

G

riri; Rom. xij. 14. 15. respondit, in ipsa divina providentia, quæ gubernantur vel creatæ, implicite & abscondite contineri humani generis redemptionem; Philosophos igitur, qui generalem illam Dei providentiam perspectam habebant, simul sanè intellexisse, nihil Deum præmissurum, ut homines sempiternâ felicitate perfruerentur; atq; ita non prorsus ignorasse Christum Jesum crucifixum, etsi rationem, quam Deus esset iniurus humana salutis curanda, compertam minime habuerint. Quæ ipsa sanè Roberto Barclajo non possunt non valdè ad palatum esse, quippe qui sicuti historicam, quam vocat, de rebus credendis cognitionem, ita & ipsam fidem explicitam absolutè necessariam esse inficiatur.

XLIV. Verùm enim verò quemadmodum fidei salvificæ objecta sunt supra rationem, ita nec eadem ex lumine natura sibi relicto, possunt cognosci. Ubi autem notitia objecti deficit, ibi neq; assensus, neque fiducia esse potest. Opus igitur est revelatione verbi divini, absq; qua si foret, objectorum fide apprehendendorum notitia nos fugeret, sicuti absq; Spiritus Sancti *enagyma* cum verbo divino conjuncta si foret, vires & facultates credendi essent defutura. Fidem igitur salvificam Spiritus Sanctus demum operatur, non tamen absq; verbo, sed potius mediante illo: verbum namque Dei est *semen immortale, ex quo renascimur*. I. Petr. I. 23. Neque etiam notitia illa de Deo naturalis fidem salvificam includit, etiam si fortè in homine ad fidem deducendo supponatur. Imò si vel maximè illam fidem quodammodo includeret, notitia tamen illa non nisi implicita esset, quæ nec sufficit, nec fides esse potest. Etenim si generalis & confusa de Deo & providentia ejus notitia suffecisset, ut Andradius putat, non videretur opus fuisse *spem vite aeterna, quam promisit Deus ille mentiri nescius ante tempora secularia, patefieri per Christum temporibus suis*, Tit. I. 5. neque necessum fuisset *mysterium à seculis & aetatibus absconditum à Deo ad cognitionem magis distinctam patefieri sanctis ejus*. Rom. xvi. 25. Ephes. III. 9. Coloss. I. 26.

XLV. 3. Nonnulli gratiam conversionis, justificationis & salvationis gentibus extra Christi cognitionem oberrantibus obvenire dicunt per peculiare lumen connatum, quod internum sit, supernaturale simul & salutiferum, ac sufficiens, quod citra verbi prædicationem fidem & salutem in hominibus operetur. De hoc Barclajus ita ait in Apolog. pag. 97. *Deus unicuique dedit mensuram*
ali.

aliquam salutiferi, sufficientis & supernaturalis luminis. Pag. 99. addit, hoc lumen esse Christi, per quod omnes debeant credere; esse illud supernaturale, salutiferum & sufficiens; imò illud in utero matris incendi, & si recipiatur, nec ei resistatur, illud omnium salutem operari, etiam eorum, qui & Adā lapsus, & Christi adventus, & mortis ignari sunt; p. 79. & 120. imò quia lumen illud vel semen dicitur esse Dei vehiculum, in quo Deus & Christus semper habitant, & à quo separari nequeunt, hinc ait, sensu latiori dici posse, Christum omnibus inesse; imò hoc lumen subsistere in cordibus impiorum, dum in impietatibus manent. p. 84. 86. Et quia hoc lumen omnibus inesse ait, non solum Judaeo, sed & Gentili, & Turca, & Scythae, & Indo, & Barbaro, ratione ejus unicuique, pro sapientia divina certum servari tempus perhibet, quò Deus à singulorum condemnatione satis exoneretur, licet tempus istud uni citius, alteri tardius superveniat. p. 82. 88.

XLVI. De hujusmodi verò lumine interno hominibus citra verbi prædicationem infuso, quod vel ipsa fides sit, vel per quod fides accendatur ad salutem, nihil nobis ex Scriptura constat. Qui enim tenebrae sunt, imò in peccatis mortui, quales sunt omnes irrogeniti Ephes. II. 3. 5. cap. V. 8. nihil vel lucis, vel vitae spiritualis in se neque à natura, neque per ipsam rei naturam habere possunt. Ut ergo hi à tenebris ad lucem, à morte ad vitam convertantur, visum est Deo per hoc medium, & non aliò modò, nimirum per sanctum verbum suum, cum id vel prædicari auditur, vel legitur, & Sacramentorum legitimum usum homines ad eternam salutem vocare, ad se trahere, convertere, regenerare & sanctificare; inquit Autores Form. Concord. de Liber. Arbitr. p. 170. Atque huc referunt loca I. Cor. I. 21. Placuit Deo per stultam prædicationem (quæ mundo suâ sapientiâ abundantia talis videtur) servare credentes. Nec non verba Angeli ad Cornelium Actor. XI. 14. Petrus loquetur tibi verba, per quæ salvus eris & tu, & tota domus tua. Rom. X. 17. Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Joh. XVII. 17. Sanctifica eos, Pater, in tua veritate: sermo tuus veritas est. & seq. v. 20. Oro pro his, qui per sermonem ipsorum in me sunt credituri.

XLVII. Ne verò Robertus Barclajus sine Scripturæ Sacrae auctoritate quicquam asseruisse videatur, nonnulla Scripturæ loca pro interno suo lumine adducit. Nostræ instituti ratio non patitur singula seorsim excutere, sed sufficit, si unum vel alterum at-

tigerimus. Potissimum allegat verba Joh. I. 4. 9. quibus de τὸ λό-
γῳ dicitur: *In ipsa vita erat, & vita erat lux illa hominum; & lux ista
in tenebris lucet, sed tenebra eam non comprehenderunt.* — *Hic erat lux il-
la vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Sicuti
& Joh. IX. 5. Christus de se ipso dicit: *Quandiu fuero in mundo, sum
lux mundi.* Conf. cap. iix. 12. xii. 35. Admittimus, per lucem intelli-
gi Christum per Evangelii prædicationem salutis radios in uni-
versum orbem diffundentem, atque ita quantum in se est omnes
homines ad vitam æternam illuminantem: Dum tamen hæc lux
per Evangelii demum prædicationem accenditur, non est con-
genita & naturalis; quod tamen Barclajus in se susceperat pro-
bandum; & vel ideò naturalis non est aut omnibus congenita,
quia tenebra (homines in statu peccati perseverantes Ephes. V. 8.)
lucem hanc sibi oblatam non acceptarunt aut comprehenderunt.
Joh. I. 5.

XLIX. Adducit quoque Barclajus locum Rom. x. 8. *Prope est
verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum illud fidei, quod prædi-
camus.* Sciendum verò est, sermonem Apostolo esse de iis, qui in
Christum credunt, eumque ore confitentur; his verbum salutis
ubique per Apostolos annunciatum *prope est*, nec gratia salutaris
amplius denegata, est & *in ore eorum*, dum Christum confitentur.
Non autem est *prope eos* per internum & congenitum lumen, sed
potius *per verbi prædicationem.* Provocat idem quoque Barclajus
ad verba Tit. II. II. *Illuxit gratia Dei salutaris omnibus hominibus.* Sed
frustra ad illa verba fit provocatio. Nam gratia illa salutaris non
est à lumine interno congenito, sed venit per Evangelii prædica-
tionem.

XLIX. Porrò causæ suæ hoc valdè patrocinari arbitratur Bar-
clajus, quòd Evangelium Jacob. I. 21. vocetur λόγῳ ἐμφυτῳ,
verbum insitum. Sed neq; hæc appellatione rem conficiet. Nam
τὸ ἐμφυτῳ l. c. non est idem, quod *connatum* sive *naturale*, aut id,
quod cum ipsa natura hominis esse incipiat, sed potius idem est,
quod ἐμφυτεύον, sive ἐμφυτεύον, *implantatum*, per fidis mini-
stros leminatam; quam significationem optimè expressit Luthe-
rus, voces h. m. reddens: *das Wort / das in euch gepflanget ist.*
Cui interpretationi non solum verbum *ἐχέον* respondet, sed &
confirmatur ea v. seq. 22. ubi Apostolus eos, quibus verbum fidei
implan-

implantatur, vult esse ἀποκατάς, imò non ἀποκατάς μόνον, ἀλλὰ καὶ
ποιήσας τὰ λόγια, quales etiam ipse Servator similitudine ab homi-
ne sementem faciente desumpta usus requirit Luc. ix. 15. Con-
firmat eandem locus Proverb. III. 3. ubi præcepta legis à quovis in
tabula cordis sui scribi jubentur. Et de lege Evangelii Jerem. xxxi.
33. dicitur: *Indam legem meam [legem fidei] in medio eorum, & in
corde eorum describam eam;* quæ verba repetuntur Hebr. ix. v. 10.
Sanè si rerum lumine naturæ notarum cognitione intellectus
humani ab ortu suo non est consitus, multò minus mysterii vo-
luntatis divinæ (Ephes. I. 9.) cognitio hominibus poterit esse con-
genita. Vid. hac de re Max. Rev. Dn. D. Wideburgii Disp. de Lu-
mine salutifero omnibus congenito §. xxix. sqq.

L. Sunt tandem 4. nonnulli, qui gratiam illam, quæ sal-
vandis gentilibus obtingere dicitur, non quidem ordinariam es-
se dicunt, attamen extraordinariam & superabundantem, talem ta-
men, quæ ipsis obtingat propter Christum, non quidem vi alicujus pro-
missi divini: cum nihil repugnet, quin ex superabundante gratia Deus
plura præstet, quàm promiserit; attamen cum respectu ad Christum: posse
quippe Deum per extraordinariam gratiam fructus sacrificii Christi etiam
imputare illis, quibus nulla sua culpa Christi cognitione carere contingit.
— Potest enim Deus beneficium homini ignotum ex superabundante gra-
tia applicare; quæ est sententia Philippi à Limborch Theol. Christ.
I. IV. c. IV. §. XIII. & c. XI. §. XI. Quam ipsam exemplò eorum, qui ante
Christum vixerunt, probat, inquiens: *Nemo salvabitur, nisi per
redemptionem in sanguine Christi; quæ profuit illis, qui ante Christum vi-
xerunt, licet eum aut non, aut saltem non nisi obscure admodum ac per um-
bras ac typos cognoverint.*

LI. Fundatur hæc conjectura non solum in gratiæ Dei,
sed & insuper in meriti Christi universalitate, quæ utraque ut ut
rectè admittatur, sciendum tamen est, quòd quemadmodum
Deus suam gratiam nemini denegat, nec tamen eam absolutè, sed
sub certa demum conditione offert, neque etiam actu eandem
confert, nisi iis qui conditionem, à quâ salutare ejusdem fructus
sunt suspensi, adimplent; ita quamvis meritum Christi ex inten-
tione ejus sic præstitum sit pro totius mundi peccatis, I. Joh. II. 2. ut sic-
uti per unius offensam reatus ad condemnationem venit in omnes homines,
ita per unius (Christi) δικαιοσύνη, justè factum, meritum, justificatio
veniret

veniret in omnes homines, Rom. V. 15. 18. 19. non tamen quisquam fructus ejusdem degustet, nisi qui verâ fide illud sibi applicat, ut cum certa cordis fiducia dicere possit: *Filius Dei dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME.* Gal. II. 20. Conf. I. Tim. I. 15. 16. Id quod etiam ex Joh. III. 16. 17. 18. ultrò intelligitur. Certè qui ante Christum in carne exhibitum salvi sunt facti, *ex fide sua vixerunt*, Habac. II. 4. quam habuerunt in mundi Messiam suò tempore exhibendum, tanquam *semen mulieris caput serpentis contriturum* Gen. III. 15. atq; adeò *opera Diaboli dissoluturum* I. Joh. III. 8. & quidem eò modò cognitum, qui ad salutem ipsorum tum quidem requirebatur & sufficiebat. Quòd si ergò hi sine Messia cognitione & fide in eundem non sunt salvi facti, certè ex quo exhibitus est mundi Redemptor, *promisso non aliter nisi ex fide Jesu Christi datur credentibus.* Gal. III. 22. Benè proinde Augustinus Epist. CLVII. *Profectò quod scriptum est, non esse aliud nomen sub caelo, in quo oporteat salvos fieri nos (Act. IV. 12.) ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum.*

LII. Atque ita vidimus eorum sententias, qui gentilium salutem gratiæ & misericordiæ divinæ adscribunt. Consideranda nunc est eorum opinio, qui hunc effectum ad justitiam divinam adeò referunt, ut si Deus gentiles promiscuè omnes ab æterna salute arceret, *ab injustitia aut crudelitate vix posset excusari*; ut Andradius supra loquebatur. Cui tamen sententiæ pariter non unum, ceu jam tum inuimus, supponitur fundamentum. Alii enim causantur, gentilibus æternam salutem à Deo denegari non posse ob fidei salvificæ defectum, quandoquidem hic oriatur ex ignorantia invincibili culpæq; experte, qui proinde morali ratione nec imputari, nec homines ad oppositam cognitionem tanquam sibi moraliter impossibilem obligati censerì possint, cum aliàs *ad impossibilia nulla queat esse obligatio.* l. 185. ff. de divers. Regg. jur. antiq. Conf. H. Grot. lib. II. de J. B. & P. cap. XIII. §. ix. Alii vero virtutis atque honestatis opera gentilium tam præclara esse perhibent, ut Deus non possit illa odio habere, sed potius æternæ vitæ remuneratione digna debeat reputare.

LIII. Ignorantiam verò hujusmodi nonnulli dicunt eas tantum excusare gentes, quæ ante Christum natum vixerunt; alij verò excusationem hujusmodi ignorantia innitentem ad istos

stos quoque extendunt, qui Christo exhibitō luce Evangelii manserunt destituti, eademq; hodiernum destituuntur. Huc tendere videtur Clemens Alexandrinus in Protreptico inquitens: ὁ πλοῦτος οὐ λογὸν οὐδ' ἀκούσας ἔχει τὴν ἀνομίαν. *Qui verbum non audivit, ei venia datur propter ignorantiam.* Et libr. VI. Strom. p. 639. *Esset non levis iniquitatis, eos, qui ante adventum Domini excessissent, cum nec eis fuisset annunciatum Evangelium, nec in credendo, vel non credendo illa posset in eos culpa conferri, vel salutem assequi, vel puniri. Neq; enim fas est illos quidem in dicta causa fuisse condemnatos: solis autem eis, qui fuerunt post ejus adventum, frui divina licuisse justitiā.* Et libr. VII. Strom. p. 760. *Sunt quidem tres animi affectiones: ignoratio, opinio, scientia: qui in ignoracione quidem versantur, sunt gentes: qui autem in scientia, vera Ecclesia: qui verò in opinione, ii qui sectantur haereses.*

LIV. Ignorantiam quoque istiusmodi ad gentes ab aeternae damnationis reatu absolvendas sufficientem arbitratus fuit Andradius apud Chemnitium Exam. Concil. Trident. de Operibus infidel. p. 109. a. *Neq; enim, inquit, duritas atq; immanitas tetrrior ulla esse potest, quam sempiternis cruciatibus mancipare homines propter illius fidei inopiam, quam consequi nullā ratione potuerunt.* Rursus: *Impossibilia in obligationem cadere, ferus solum, teter, humanitatisq; hostis, quicquam poterit existimare.* Philippus Limborgius l.c. ita inquit: *Nemo illa cognoscere tenetur, qua Deus ipsi non revelavit, aut revelare noluit.* Joh. XV. 22. 24. *nec ob illius cognitionis carentiam quisquam damnabitur.* Rom. II. 12. *Et rursus: Certum & indubitatum credimus, neminem, quem Deus Evangelii cognitione dignatus non est, condemnandum, quia officia in Evangelio ad salutem adipiscendam necessario requisita, qualis potissimum est fides in J. Christum, non praestitit; sed solummodo, quia natura legem transgressus est.* Rom. II. 12. Luc. XII. 48. *Nemo enim ea cognoscere tenetur, qua ipsi Deus non revelavit, neq; per illam ignorantiam poena reus esse potest.* Joh. XV. 22. Robertus Barclajus in Apolog. Theol. VI. Oblationis & vitæ Christi beneficium extenditur non solum ad eos, qui distinctam & externam mortis passionisq; ejus habent cognitionem, sicut ea in Scripturis est declarata, sed etiam illos, qui ab hujus cognitionis beneficio, casu aliquod inevitabili, necessario excluduntur, quam cognitionem libenter concedimus perutilem & consolabundam, sed non absolute necessariam illis, quibus ipse Deus eam fecit impossibilem. Et Autor revelationum §. 32. *Die uns wissenden Völcker verwerffe niemand schlechter dinges.*

LIV. Juxta

L^V. Juxta hos itaq; rerum ad salutem creditu nece ssiarum i-
gnorantia, eaque invincibilis, ita quidem, ut opposita peritia ac-
quisitu fuerit impossibilis, eos, qui hujusmodi ignorantia, nullâ
suâ culpâ, laborant, ab æterna damnatione exemerit. Quam su-
am sententiam à Servatoris doctrina haud alienam esse putant.
Is enim Joh. xv. 22. 24. inquit; *Si non venissem & locutus essem eis, pec-
catum non haberent; nunc autem non habent, quod prætaxant peccato suo.
Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*
Et cap. ix. 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò di-
citis: videmus, itaq; peccatum vestrum manet.* Quibus ipsis verbis pu-
tant doceri, Evangelicæ doctrinæ ignorantiam in iis, quibus
salutaris lux non est exorta, haud esse culpabilem, nec ip-
sis in damnum, multò minus in æternum animæ exitium impu-
tari posse, aut si hoc fieret, id nimis crudele fore.

L^{VI}. Quod ipsum antequam pluribus expendamus, disquiren-
dum est: an etiam gentium, quæ luce Evangelii vel olim fuerunt
destitutæ, vel hodiernum destituuntur, ignorantia prorsus fuerit
involuntaria, & præterea ita invincibilis, ut aliquam coram Deo
mereatur excusationem? Ita verò omninò sentiunt, qui erga gen-
tes in cœcitate mentis suæ perseverantes adedò mites sese præ-
bent. Quod enim gentes antè Christi adventum degentes atti-
net, si eæ viam salutis cognoscere debuissent, per Judaicum po-
pulum eandem fuissent edoctæ. *Salus enim ex Judæis est, Joh. IV.*
22. h. e. sicuti Salvator mundi ex tribu Judææ erat nascendus, ita
*& vera ejus cognitio & colendi ratio à Judæis debuit peti, quip-
pe quibus ea per Prophetas à Deo fuit manifestata. De Sion enim*
*lex debuit prodire, & verbum Domini de Jerusalem. Esa. II. 3. nec mi-
nus Dominò in cœlòs sublatò prædicanda fuit pœnitentia & remissio*
peccatorum apud omnes gentes incipiendo ab urbe Hierosolymorum. Luc.
*xxiv. 47. At verò ajunt, non ignotum esse, quàm difficilis con-
versationis Judæi fuerint cum gentibus, quibuscum commer-
cium à Deo non solum sibi interdictum putarunt, sed & cum il-
lis agendi vix occasionem invenerunt. Qua de re testari potest*
*Josephus libr. I. contr. Appion. ita inquit: Nos neq; terram ha-
bitamus, qua mari vicina est, neq; negotiationibus gaudemus, neq; earum*
causâ consuetudo nobis cum aliis gentibus est, sed sunt urbes nostra procul
à mari sita: ipsi autem nos regionem bonam incolentes hanc cum labore e-
xerce-

sercemus; De gentibus verò vel circa Messiaë exhibiti tempora-
viventibus, vel eadem excipientibus rem claram esse conten-
dunt ex mandato Servatoris Matth. X. 5. *Apostolos in vias gentium*
abire, & in urbem Samaritanorum ingredi prohibentis, nec non Spi-
ritûs Sancti Paulum ac Timotheum *in Asia* æquè ac *Bithynia ser-*
monem loqui interdicentis Act. XVI. 6. 7. Quibus ipsis experien-
tiam haud fallacem rerum testem adjungunt, quâ constare dicunt
nondum omnes gentes in hunc usq; diem esse vocatas, sed plu-
res in ignorantia Evangelii relinqui. Hos itaq; miseros homines
comparant partim cum iis, qui à prima sua nativitate vel cœci
vel surdi fuerunt, partim cum infantibus; à quibus tamen fidem
in Christum juxta normam Evangelii sub periculo amittendæ sa-
lutis requirere velle ideò valdè foret durum, quòd, ceu sapiùs
dictum, ad impossibilia nulla detur obligatio.

LVII. Ex his validè concludi posse arbitrantur, quòd gentes, si-
cuti gratiâ vocationis sibi oblatâ non gaudent, ita propterea
quòd Christum nullâ suâ culpâ ignorent, non promiscuè omnes
æternæ damnationi sint subjiciendæ. Quæ ut tantò facilius or-
dine queamus discutere, ante omnia observandum ducimus, i-
gnorantiam, quæ excusare debet, non oportere esse ignoran-
tiam juris, neque ulla ratione voluntariam, sed prorsus invinci-
bilem, tam in se, quàm in sua causa. Talis verò non est gentili-
um ignorantia, de qua loquimur; unde adeò non erit, ut pro-
pter eam gentiles censeant *ἀναπολόγητοι*. Eorum enim i-
gnorantia omninò est juris, saltem ex suppositione finis super-
naturalis, qui est vita & salus æterna: etenim qui hunc finem
obtinere cupiunt, media ad eum pertingendi non debent igno-
rare, sed potiùs, quantum in se est, sollicitè investigare. Præter-
ea etiam ista gentium ignorantia suò modò est voluntaria, &
quidem interpretativè ob virtuales consensum in eandem per
majores præbitum; est etiam voluntaria implicitè, quia cum
occasionem habuerint veritatem cœlestem cognoscendi, eam ta-
men non acceptarunt, aut saltem eò, quò per erat, studiò quæ-
rere neglexerunt. Nosse enim possunt, idololatriam, in qua mul-
tæ gentes olim hæserunt, atque nonnullæ adhuc hærent, rem es-
se abominandam, neq; sufficere ut quis eam linquat, sed insuper
necessum esse, ut agnitâ fallitate religionis paganæ quisq; veram
H atq;

atq; ad salutem sufficientem religionem quærat, repertæq; totò pectore se addicat. Lux Evangelii ubiq; est accensa, quam ut admittant, jure ab ipsis exigitur. Propagationem autem Evangelii in omnes gentes cum alia quamplurima, tum etiam translationes Scripturæ sacræ in omnes propemodum linguas mirificè adjuverunt, id quod de Græca Scripturæ Sacræ Veteris Testamenti versione observat Clemens Alexandrinus libr. I. Strom. p. 288. inquit: *Propterea Græcâ voce exposita sunt Scripturæ, ut nullum unquam ignorantia possint prætextum asserere, cum possint, quæ sunt apud nos, audire, si tantum voluerint.* Conf. p. 342. Ut adeò gentiliùm hæc ignorantia sit vincibilis, si non in se, saltem in sua causa; causa verò hæc est negligentia partim propria, partim aliena in majoribus, quæ tamen per interpretationem quandam juris suò modò etiam propria & in posteris voluntaria est dicenda.

LIIX. Quod dicitur, temporibus Christi adventum in carnem antecedentibus veritatis cœlestis cognitionem à Judæis non potuisse expectari, id facillè dissolvitur. Sufficit enim, vocationem hominum universalem fuisse, antequam Abrahami posteritas peculiarem constituerit Rempublicam; sufficit, Israëlitas præ aliis gentibus in Dei peculium electos aliquandiu hæsisse in Ægypto, unde in Græciam, & porrò inde in universum terrarum orbem veritatis cœlestis cognitio famâ indubiâ perferri poterat. Ex quo autem peculiarem Rempublicam constituerunt, eorum mores, instituta, religio, miracula in gente hac perpetrata non poterant omninò ignota esse. Accedit, quòd quamvis Judæi non facillè cum exteris nationibus commercia instituerint, non tamen omnem eorum amicitiam sunt averfati, nec iis ignoti manserunt. Nota est Hiram, Tyrionum Regis, amicitia cum Davide inita II. Sam. V. 11. I. Paral. xiv. 1. quam & cum filio ipsius continuavit I. Reg. V. 1. Regina Austri ad ipsum Salomonem accedebat, I. Reg. x. 1. II. Paral. ix. 1. Matth. xii. 42. Luc. xl. 31. Cum Romanis, & cum Lacedæmoniis foedera pangebant Judæi I. Maccab. iix. 17. sqq. cap. xii. 2. 5. sqq. Ipse Filius Dei, per quem Deus ultimis temporibus ad homines locutus est, Hebr. I. i. non solum Judæam obiit, sed & ad gentium fines penetravit. Quòd si ergò salutarem fidei cognitionem non omnes gentes immediatè à Judæis acceperunt, licuit tamen eandem adipisci saltem beneficiò istorum populorum

rum, qui ipsis vel finitimi erant, vel amici, & familiares. Ut de eo non dicamus, gentes viam salutis potuisse edoceri per profelytos, in quibus conquirendis tanta legum Hebræarum peritis fuit industria, ut eam certis de causis Christus arguendam duxerit Matth. xxiii. 15. Sufficit universalitatem vocationis in Scriptura Sacra clarissimè fuisse assertam, licet historiæ circumstantias singulas non consignarint: Ignorantia enim circumstantiarum rei in Scriptura sacra clarissimè assertæ negationem non potest inducere. Accommodare interim ad hoc institutum licet verba Hebr. IV. 2. *Nobis evangelizatum est, sicut & illis: at non profuit illis auditionis sermo.*

LIX. Quod loca Scripturæ contra hanc vocationis universalitatem §. LVII. adducta attinet, sciendum est, gratiæ vocationis divinæ, quæ ex intentione & oblatione Dei universalis est, actualem perceptionem secundum imperscrutabilem voluntatem divinam variare partim ratione temporis, partim ratione modi vocationis, partim ratione gradûs vocationis, imò & ratione dispensationis divinæ, cujus varietatis rationes non possumus indagare, sed easdem vel gratiæ, vel justitiæ divinæ cogimur relinquere, quâ fit, ut nonnullis vocationis gratia denegata vel subtracta sit, nonnullis tardiùs obtigerit, nonnullis lux Evangelii denuò accensa sit, aliis non item; & si qui alii sunt diversitatis modi. Interim gratia vocationis ex parte & intentione Dei omnibus patet; quòd verò actu ipsò nonnulli de eadem non participant, fit hominum culpâ, quorum etiam culpâ fit, quòd misericordia Dei & meritum Christi non in omnibus sit efficax. In specie itaque verba Servatoris Matth. x. 5. inspicientem fugere non potest, Dominum non simpliciter prohibuisse Apostolis, ne in vias gentium abirent, sed hoc mandatum definitò tempore fuisse circumscriptum, eò nimirum, quòd Servator adhuc in terris degeret. Eò verò in cœlis sublato *prædicandum erat Evangelium regni cœlorum in universo orbe, ut esset testimonium omnibus*, idque ante finem urbis sanctæ & Republicæ Judaicæ destructionem. Matth. xxiv. 14. Conf. Matth. xxix. 19. Ita quamvis Paulus Asiaticis verbum, procul dubio ob eorum pertinaciam prævisam, loqui ad tempus sit prohibitus, Act. xvi. 6. 7. iis tamen deinceps Evangelii prædicatio largiter obtigit, ut apparet ex Act. xix. 10. I. Petr. I. 1, Apoc. I. 4.

LX. Ceterum ad gentiliū in incredulitate sua perseverantium excusationem adhiberi quoq; solet eorum cum infantibus, imò & cum cœcis ac surdis, qui à nativitate tales sunt, facta comparatio; licet nec satis accommodatè, nec sufficienter: Quamvis enim qui Christo adducendi sunt, infantibus comparentur, i. Corinth. III. 1. 2. quibus non solidus cibus, sed lac potius præbendum sit, h. e. quibus prius elementa religionis Christianæ, quàm exacta ejus perfectio, sint proponenda, comparatio tamen illa non nimis latè est extendenda. In hanc autem partem qui similitudine utuntur, eam pertrahunt: Quemadmodum infantes morte abrepti non damnantur, licet fide in Christum careant, idemque pronuntiandum est de iis, in quibus sensus aliqui v. g. visus & auditus deficiunt, propter quorum defectum salutarī cognitionē Dei & Servatoris nostri imbui non possunt; ita quibus non contigit Evangelii prædicatio, iis fidei ignorantiam dicunt obstaculo esse non posse, quò minus æternæ salutis admoveantur.

LXI. Istò verò pactò hæc similitudo sicuti justò latius extenditur, ita rem non usq; quaq; conficit. Etenim si infantes in Ecclesia à fidelibus parentibus geniti vel in utero materno, vel in ipso partu extinguantur, vel etiam subita mors eorum Baptismum & per hunc factam regenerationem antevertat, nulli dubitamus, quin Deus parentum & Ecclesiæ specialibus precibus, quæ pro ipsorum infantum voto & voluntate habentur, permotus eos extraordinariè salvare possit, cum mediis semel institutis absolutè non alligetur, nec Sacramentorum privatio, sed potius contemptus damnet, juxta Augustinum. Quòd si verò extra Ecclesiam ex parentibus infidelibus nascantur, sunt quidem nonnulli, qui rigidiorem damnationis sententiam in eos statuunt, ita tamen ut cum Augustino libr. V. contra Julian. cap. iix. arbitrentur, eos quia *solum habent peccatum originale, nec ullis propriis (actualibus) aggravantur, in damnatione omnium levisimà futuros*, h. e. non quidem pœnam sensus, sed solam pœnam damni experturos esse. Alii tamen in mitiorem propendent sententiam, quos inter est Tobias Wagnerus Inquisit. in Act. Henot. Sect. IV. cap. xix. §. ult. nec non B. Dn. D. Hildebrandus in Theol. Dogm. cap. x. §. xxvii. & cap. xix. §. lxxi. Deum precibus generalibus Ecclesiæ pro omnium hominum conversione & salute æternâ suis, circa omnes, qui gratiæ divi-

divinæ obicem non ponunt, efficaciam habituris hoc daturum esse arbitantes. Nos misericordiæ divinæ hos relinquere, quàm damnare malimus, certissimè persuasi, nihil Deum in hos & horum similes statuturum, quod misericordiâ suâ sit indignum, memores insuper moniti Paulini 1. Cor. V. 12. 13. *Quid ad me eos, qui foris sunt, judicare? — De extraneis Deus judicat; & sequentes dictum Augustini libr. iix. de Genes. ad lit. cap. iix. Melius est dubitare de oculis, quàm litigare de incertis.*

LXII. Interim tamen ex horum infantum statu gentilium reliquorum sortem ob intercedentem disparitatem colligere non possumus. Hi namque in actuali sunt culpa, dum vel rationis dictamen opprimunt, vel quod per actus pædagogicos facere poterant & debebant, negligunt, unde nec ignorantia, in qua perseverant, *in totum* eos excusat, ut ut fortè *in tantum* eosdem excuset. Sunt enim & gradus pœnarum in statu damnationis pro delictorum & ignorantia varietate. Matth. xi. 22. cap. xxiii. 14. Luc. x. 13. cap. xii. 47. 48. Id quod confirmat etiam Augustinus libr. xxi. de C. D. cap. xxvi. & libr. de Baptismo contra Donatistas cap. xix. libr. iv. contra Julianum Pelagianum cap. III. cujus verba B. Calixtus libr. de Bono perfectè summo p. 68. adduxit. Eò etiam referri possunt verba Joh. ix. 41. *Si cæci essetis, & mediis veritatem cognoscendi destitueremini, atque ita ex ignorantia & simplicitate peccaretis, non haberetis peccatum, tantum videlicet, quantum nunc habetis cognitione lucis vobis oblatâ. Et Joh. xv. 22. Si non venissem & locutus essem eis, tantum peccatum non haberent, quantum nunc habent, veritate contumaciter repudiâtâ, possentque videri aliquò saltem modò in ignorantia sua prætextum quærere, quod tamen nunc amplius facere nequeunt. Benè Ambrosius in Psalm. cxix. Serm. II. Quando tolerabiliorem causam gentilis habet, qui potest dicere: Non cognovi legem, non audiivi Prophetas, idè non credidi, quam ille, qui legit omnia, ex quibus venturum Jesum crederet, & non credidit. Neuter quidem excusatur, nec ille, qui legit, nec ille, qui legere noluit, sed plus delinquit, qui negavit, quod legerat. Atque sic qui sunt sine lege h. e. gentes legem scriptam non habentes, nec sub pacto evangelico viventes, sine lege peribunt, nec gratia salutis omnibus exorta suos fructus ad æternam vitam in eos diffundet. Rom. II. 12. Conf. Clariss. Dn. Pfanneri Theol. Gentil. cap. xxii. §. xxiii.*

LXIII. Superest in hoc negotio, ut eorum quoq; expendamus rationes, qui gentibus Christum ignorantibus non tam ex misericordia divina, quam vi iustitiæ divinæ spem salutis æternæ facere audent, & quidem non tam ob ignorantiam, in qua hærent, quam ob præclara virtutis & honestatis opera ab ipsis edita, quæ ut Deus possit odisse aut propter eadem vindictam in agentes statuere tantum absit, ut eadem ipsi, tanquam legi naturæ convenientia, non possint non placere, ac remuneratione digna censeri: siquidem *redditurus est Deus unicuique, secundum opera ipsius* Rom. II. 6. Lex quippe naturæ est quoq; ipsius Dei lex, unde aded quod ei congruit, Deo nequit displicere. Quò accedere dicunt, quòd Scholastici perhibeant, *facientibus quod in se est, gratiam salutarem non deesse.*

LXIV. De Gentilibus verò ipse Apostolus Rom. II. 14. 15. ita inquit: *Gentes, quæ legem externâ & solenni promulgatione propositam non habent, ut Judæi (Rom. IX. 4.) naturâ quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex: ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis.* Et rei exemplum præbere videtur Cornelius centurio ex cohorte, quæ erat Italica. Is enim cum esset pius ac timens Deum cum tota domo sua, & præstans eleemosynas multas populo, & Deum precans assidue, intellexit, eleemosynas suas ascendisse memoriæ causâ in Dei conspectum. Actor. X. 1. 2. 4. 31. Quin imò Petrus ipse v. 34. 35. fatetur: *In veritate comperio, Deum non accipere personam, sed in omni gente acceptum ei esse, qui eum timeat, & operetur iustitiam.*

LXV. Non pauci fuerunt, qui legis naturæ observationem iis præsertim, qui ante promulgationem legis Mosaicæ, & per consequens quoq; ante mundi Messiam in carne exhibitum vixerunt, ad salutem æternam sufficienter profuisse sunt arbitrati. Fuerunt etiam, qui tantum beneficium propter eandem legis naturæ observationem gentibus quoq; ad Christi pridem patefacti cognitionem huc usque nondum deductis nullò jure denegari posse contendere sunt ausi. Quos licet suprâ recensuerimus, iisdem tamen ex recentioribus hâc vice jungimus Guilhelmum Scherlockium in Discurs. pract. de iudicio extremo pag. 351. nec non Petrum Chauvinum libr. de naturali religione libr. I. cap. IX. de quibus legi possunt Acta Erud. Lips. anni 1693. p. 266. & 501. Ex Veteribus, & quidem ex Sec. V. addimus Lucidum presbyterum, Prædesti-

destinatianorum sectæ primùm alumnus, ex erroribus tamen, in quos inciderat, operâ Fausti Rhegiensis in Synodo Arelatensi triginta (ut perhibetur) Episcoporum, annô, ut nonnulli putant, cccc lxxv. coactâ, revocatum. In ea namque Synodo Lucidus non solum erroris sui capita *quasi impia & sacrilegia repleta* condemnavit, sed & illis contraria dogmata fuit professus, quæ inter & hoc fuit: *Affero etiam per rationem & ordinem seculorum alios lege gratia, alios lege Mosis, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos: tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos.*

LXVI. Verùm enim verò quod Lucidum attinet, is quamvis profiteatur homines lege naturæ, item lege Mosaicâ fuisse salvos factos, in eo tamen à reliquis, quos supra commemoravimus, secessum facit, quòd remissionem peccatorum, & æternæ beatitudinis, tanquam finis supernaturalis adeptionem non tam observationi legis naturæ, aut etiam Mosaicæ, tanquam causæ impulsivæ, quàm gratiæ ac merito Christi, fideiq; illud meritum apprehendenti sibiq; applicanti attribuat, cujus fidei fructus & signa deinceps fuerunt voluntati divinæ vel per legem naturæ, vel per pactum cum Abrahamo & Mose initum declaratæ conformia opera, salvificæ illius fidei indubitata inter reliquos homines signa. Id quod sic satis rectè partim secundum Actor. xv. ii. partim secundum Jacob. II. 26. ab eo fuit assertum.

LXVII. Omnino enim ut ea, quæ huc pertinent, rectè intelligamus, & quæ considerationem merentur, seorsim ac specialius expendamus, supponere debemus, justificationem & salutem nostram haudquaquam ab operibus nostris tanquam causâ impulsivâ aut meritoria pendere. Qui enim justificandus est, & spem salutis æternæ consequi desiderat, est homo hactenus *impius* atque peccator, ad agnitionem tamen peccatorum deductus, qui hòc ipsò, quò impius & delictorum suorum varietatem agnoscens peccator est, bonorum operum nihil ad justitiam coram Deo impetrandam afferre potest. Unicum ergò hoc agit, ut ad Christi meritum confugiens in eo remissionem peccatorum suorum ex mera gratia & misericordia inveniat. Atque ex quo credit, *fides ei imputatur ad justitiam* Rom. IV. 5. nec amplius est impius, sed justus coram Deo reputatur, locumq; inter eos invenit, de quibus Apostolus

stolus i. Cor. VI. ii. ait: *Eratis quondam tales, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Non itaque nisi fide justificatur homo absq; operibus legis. Rom. III. 24. Gratia estis servati per fidem: non ex operibus, ne quis gloriatur. Ephes. II. 8. 9. Quod si per gratiam, jam non ex operibus: alioquin gratia non esset gratia. Rom. III. 6. Quod si ergo fidelium & renatorum bona opera non sunt meritoria salutis æternæ, neque hæc iisdem debetur ex justitia, multò minùs hominum irrogenitorum & infidelium opera tanti sunt futura, ut salus æterna ipsis ex justitia debeat. Sicuti & propterea S. Augustinus sententiam illam, quæ perhibebatur, aliquos fuisse salvatos sine agnitione & fide Evangelii, solâ lege naturæ, disertè refutat & damnat ut Pelagianam libr. de Natur. & Grat. cap. II. de Peccat. Orig. libr. II. cap. xxvi. Et Pelagianos libr. IV. contra Julianum cap. III. ita alloquitur: *An forte Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, ceterisq; talibus provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumq; cælorum: ubi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide impossibile est placere, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt? Non opinor, perditionem vestram ad istam impudentiam posse proficere.**

LXIIIX. Quod attinet Scholasticorum illud pronunciatum, quò post alios Herbertus quoque & Franciscus de la Mothe nituntur: *Facientibus, quod in se est, non deesse gratiam salutarem; id ipsum B. Lutherus Artic. Smalcald. part. III. Art. I. accenset meris erroribus & portentis, ortis ex inscitia & ignorantia peccati, & Christi Servatoris nostri; imò accenset illud dogmatibus verè & merè ethnicis. Ipse Bellarminus libr. vi. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. vi. non dissimulat illud ipsum effatum, si vel hòc modò accipiatur: *hominem faciendo, quod in se est, solius natura viribus preparari ad gratiam, aut eum suis viribus à Deo desiderare & petere posse gratiam; vel istò modò: hominem propriis viribus, posse servare omnia præcepta moralia & innocentem vitam agere secundum rationem, & hæc sanctitate morali provocare Deum ad auxilium speciale sibi donandum, quò tandem ad fidem gratiamq; perveniat; Pelagianam hæresin alere. Hinc cum S. Thoma i. 2dæ Quæst. 109. artic. 6. ad 2. & Quæst. 112. art. 3. ad 1. nec non S. Bonaventura in 2. Sent. Distinct. 28. Art. 2. Quæst. I. memoratum pronunciatum tantum de Conversione secunda accipit, h. m. cum ho-**

non facit, quod in se est, expectando gratia Dei, à qua moritur, gratiam
sua deus erit.

LXIX. Hoc autem pacto Scholasticorum illud pronunciatum
ad rem presentem non faciet. Nihilominus ut constet, quò usq;
gentilium opera legi naturæ consentientia Deo placeant, dicen-
dum est, Deum posse dupliciter considerari: 1. tanquam autorem
naturæ. 2. tanquam autorem gratiæ. Si priori modò considere-
tur, utique laudabilia hominum extra Ecclesiam constitutorum
facta Deo placent, sicuti quod contra naturæ legem suscipitur, ip-
si non potest non displicere. Sed simul sciendum est, Deum eâ
ratione, quâ autor naturæ est, salutem æternam non conferre;
hoc enim demum est ex gratia. Quòd si verò Deus posteriori ra-
tione spectetur, opera ista gentilium in ordine ad finem illum su-
pernaturalem eidem non placent, sicuti nec persona placet, quan-
doquidem non sunt ex fide, sine qua Deo placere est ex *vân adoratione*.
Hebr. xi. 6.

LXX. Neque verò ista gentilium opera Deo, tanquam autori
gratiæ spectato, solum intuitu pacti Evangelici non placent, sed
nec eidem placent habitò respectu ad pactum legale. Etenim,
quamvis hi homines *faciant ea, que sunt legis*, h. e. ratione externæ
observantiæ operentur, quæ legi sunt consentanea, interiorem
tamen perfectionem non adierunt, atque ita *legem non faciunt*, h. e.
perfectè eam non implent, Rom. II. 13. 14. cuiusmodi tamen *non-
sunt* demum dicuntur *justificari* h. e. & qui ea ita fecerit, *in his
vitam est habiturus* Levit. XIX. 5. Rom. X. 5. Gal. III. 12. Sed nemo
mortalium est, cuius vires perfectam legis moralis adimpletio-
nem promittere possint, unde *nullam amplius per legem justificari
apud Deum, manifestum est*. Gal. III. 12. Certè si historiam consula-
mus, nemo sanctorum est, quin fateri cogatur: *in malis labimur o-
mnino*, Jacob. III. 2. multò minus apud *res est nullus eiusmodi homo ex
historia potest monstrari*, qui legem adeò exactè impleverit, ut nullâ
libe, nullâq; vitiosâ actione vitam aliâs honestè actam unquâ con-
taminaverit. *Ceteros enim, Sacrates, aliq; horum similes, qui inter Ethni-
cos sanctissimi iudicati sunt, multis vitis cooperitos fuisse, facile demon-
strari possent*, — ut adeò præ uno aut altero bono opere morali, quod fortas-
se fecerunt, plerumq; peccata lethalia sine dubio commiserint: inquit Bel-
larminus h. e. habetque tunc locum illud Jacobi cap. II. 10. *Quis-
quis*

quis totam legem servaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.

LXXI. Malo tamen huic & peccatis obrepentibus remedium nonnulli inveniri posse arbitrantur in pœnitentia, quæ irritum quasi faciat, quod ab homine pravè ad Numinis divini offensionem est gestum; sicuti & Ninivita pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jona. Matth. xii. 41. Luc. xi. 32. Quod etiam à mente Clementis Alexandrini non ita alienum esse videtur. Is siquidem libr. vi. Strom. p. 634. ita inquit: *Quæcumq; vestrum fecit aliquis in ignorantia, Deum aperte non cognoscens, si ea agnoscens ductus fuerit pœnitentiâ, ei omnia peccata remittentur.* In hanc sententiam citò gradu contendunt Naturalistæ, præcipuè verò eorum antesignanus, qui libr. de Relig. Gentil. inter articulos, quos optima imò sufficientia ad meliorem vitam comparandam media reputat, hunc quintum esse voluit: *Dolendum esse ob peccata, ab iisq; respiscendum. Ita Vitia & scelera quæcumq; expiari debere ex pœnitentia.* Eòdem libr. de Relig. gentil. p. 195. ait: *Sensum vitiorum sive peccatorum suorum habuerunt gentiles.* Et p. 197. Pœnitentiam vocat *remedium malorum, quæ quasi tabula post naufragium fuerit gentilibus, & ad quam, etiam in delictis minimis, confugiendam esse crediderit Antiquitas.* — *Sola morborum animi salutaris crisis est pœnitentia.* Item: *Pœnitentia tanquam universalis natura piamentum vel sacramentum inter gentiles est habita.* Pag. 202. *Si sacerdotes (ritus expiationis proponentes) pœnitentiam veram, horroremq; scelerum in animos populi plenum induxissent, hæc ita male cum humano genere actum fuisset.*

LXXII. Verum enim verò ut de eo non dicamus, Contritionem sive dolorem de peccatis præsupponere agnitionem eorundem, omnia autem peccata à gentilibus soli rationis ductui inhærentibus, non agnosci, ac proinde non omnium peccatorum dolore & contritione eosdem duci posse, id etiam sciendum est, nudam contritionem, sive dolorem de admissis peccatis & detestationem eorundem (quæ est pœnitentia non totaliter, sed sed tantum partialiter accepta,) non sufficere ad expianda flagitia & peccata, sed insuper requiri satisfactionem læso Numini debitam: quamvis enim Deus benignus sit, & ad ignoscendum facilis, neque quicquam statuat, quod misericordiâ suâ indignum sit, justus tamen esse non desinit, neque juri suo satisfactionem debitam exigendi renunciavit. Quemadmodum enim credito-
ri ma-

ri manet jus æs suum strictè repetendi à debitore, qui sponte suâ paupertatem sibi contraxit, ita nec Deus de jure suo cedere & obligationem legis ab homine, qui sponte suâ viribus legem exacte implendi se exuit, tollere tenetur. Cùm itaque homo nec ea, ad quæ obligatus erat, adimplere, nec satisfactionem pro illata læsione præstare possit, necessum est, ut ad alienam satisfactionem confugiat, eandemque verâ fide apprehensam Deo offerat. Hoc sanè Ninivitæ operâ Jonæ ad salutarem fidem profelytorum more conversi faciebant; ejusmodi etiam pœnitentiam, quæ fidem in Christum includeret, Apostoli proposuerunt Act. III. 19. inquires: *Respicite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Unde & Clemens Alexandrinus loc. cit. subjicit, *cum populum sanctum esse cum Judæo, qui convertitur, imò qui predicabatur profelytus.*

LXXIII. Ceterum supra §. LXIV. vidimus allegari exemplum Cornelii Centurionis Act. X. 2. 4. qui cùm esset Romanus, nihilominus erat *εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν*, pius ac religiosus timensque Deum, nec solum ipse solus talis erat, sed & cum omni sua familia, qui multas elemosynas populo præstabat, atque insuper orationibus assidue vacabat. Hujus preces & elemosyna ascenderunt memoriae causâ in Dei conspectum; ac licet esset Romanus, adeoque vir præputium habens, non autem ex circumcissione, nihilominus Petrus ejus exemplò edoctus fuit, in omni gente Deo acceptum esse quemcumque, qui Deum timet & justitiam operatur. l.c. v. 35. Unde aded colligi posse videtur, etiam eos, qui fidem non habent, modò secundum legem naturæ honestè vivant, viam salutis sibi apertam videre.

LXXIV. Verùm enim verò id quidem ex historia Cornelii concludi non potest. Hoc quidem certum est, Deum in sinum gratiæ suæ non solum Judæos recipere, sed & gentiles, sed quòd absque fide quisquam Deo placeat, id quidem inde non sequitur, quin contrarium potius legitur Hebr. xi. 6. Non igitur Cornelius gentilibus ita est adscribendus, ut prorsus infidelis fuerit: *Deus enim peccatores non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus exequitur, hunc audit.* Joh. IX. 31. sed fuit ille profelytus, licet non justitia, sed tantùm porta, qui sicuti jus incolatùs apud Judæos erat consecutus, ita ejuratâ idololatriâ verum Deum agnoscebat & colebat, & in universum ad septem præcepta filiorum Noæ se adstringi erat passus; ac quamvis neque pactum Mosaicum esset

amplexus paris cum Judæis fortunæ confors futurus, neque patrum Abrahami circumcissionem injungens edq; ipsò peculiarem sortem ac dignitatem Abrahami polleris promittens suscepisset, fiduciam tamen in benedictum mulieris semen habuit repositam, neque ita inter pios illos & fideles, qui tamen circumcisi non essent, sicut referendus, non secus utq; Athiops eunuchus, Candaces Regine Athiopum dynastes, cujus Actor. ix. 27. fit mentio, & *ἑβραῖος ἰσραηλῆτης* Antiocheni ex Paulo & Sila eadem verba audire cupientes, quæ Judæis & profelytis justitiæ in Synagoga annu- ciaverant, Actor. xiii. 43. nec minus *ἑβραῖος ἰσραηλῆτης* Thessalonica. Actor. xvii. 4. Vid. Selden, de J. N. & G. ex disc. Hebr. libr. II. c. III. Ex quo autem Cornelius centurio in mundi Messiam credidit, e- jusq; adventum devotis precibus à Deo flagitavit, non potue- runt non preces ejus ex verà fide profectæ Deo esse acceptæ. *Cornelius, antequam fidem Christianam audiret, non erat omnimò infidelis, — Proinde ex fide orabat, & auxilio Dei efficacissimus faciebat;* inquit Bellarminus libr. vi. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. vi. Imò quia talis fuit Cornelius, Deus ulterius hanc ipsi gratiam fecit, ut de mundi Messia non amplius expectando, sed jam tum exhibito ipsum per Petrum admoneret. Hic itaq; Cornelius centurio non ab similibus videtur fuisse centurioni, cujus tanta erat fides, ut ei similis in I- sraël à Christo non fuerit inventa, Matth. ix. 10. nec non alteri cen- turioni, qui unà cum aliis Jesum in cruce morientem servantibus dicebat: *Vere Filius Dei erat iste.* Matth. xxvii. 54.

LXXV. Neq; obstat, quòd Cornelius v. 28. vocetur *ἑβραῖος* & v. 45. nec non cap. xi. 13. *gentibus* adscribatur, tanquam *vir propriam habens, & fidelibus, qui ex circumcissione erant,* contradistingua- tur, v. 2. 3. Etenim *ἑβραῖος* dicitur omnis ille, qui non est de tribu aliqua Israel, & Syro Interpreti vocatur *ἰσραηλῆτης ἰσραηλῆτης*. Jonathani *profelytas ἰσραηλῆτης*. Talis autem reverà fuit Cor- nelius, utut fortè Petrus unà cum reliquis fratribus ignoraverit, eum hujusmodi profelytum fidelem fuisse, qui in spe Israelis re- quievisset. Benè autem factum, quòd Deus Evangelii lucem in om- nes gentes diffusurus hujusmodi profelytos noluerit præterire, sed per hos, tanquam inter Judæos gentesq; medios, atque ita per gradus ad reliquarum gentium conversionem contendere fuerit dignatus.

LXXVI

LXXXVI. Hunc verò Cornelium centurionem fidelem professum fuisse, ipse quoque B. Lutherus cum alibi agnovit, tum præcipuè in Artic. Smalcald. part. III. artic. ix. ubi Deum nemini Spiritum vel gratiam suam largiri, nisi per verbum & cum verbo externo præcedente, contra Enthusiastas contendens, ista inter alia addit: *Cornelius Actor. X. longè antiè audierat apud Judæos de venturo Messia, per quem justus coram Deo preces & eleemosynas Deo gratas præstabat ex fide [sicut Lucas eum nominat justum, pium & timentem Dei] & sine præcedente illo verbo atq; auditu credere atq; justus esse non poterat. Petrus autem patet ei jubebatur, Messiam (in quem venturum hædenu ille crediderat) jam advenisse, ut fides ejus de venturo Messia, eum apud induratos & incredulos Judæos non captivum teneret, sed ut sciret, se salvandum esse per præsentem Messiam, & hunc cum Judæorum turba non negaret, nec persequeretur. Conf. B. Calixti Tractatus de Pactis §. xxx.*

LXXXVII. Quæ cum ita sint, meritò dicimus cum Philippo Melanchtone Tom. I. Oper. p. 416. *Quare illi, qui fingunt, Aristidem & similes propter disciplinam justos fuisse & hæredes Dei, & Ecclesie adjungunt multitudinem sine voce Evangelii & sine vocatione, non rectè judicant. Etsi enim nescimus, qui sint gradus talium post mortem, & valde mirum videtur humanis judiciis tantam hominum multitudinem rejectam esse à Deo, tamen nos necesse est ex voce Evangelii judicare. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui non credit Filio, non habet vitam, sed ira Dei manet super ipsum. Joh. III. 36. Et Rom. II. X. Quos elegit, hos vocavit. Quæ sententia planè affirmat utrumq; & semper aliquos electos esse in cœtu vocatorum, & extra cœtum vocatorum non esse electos.*

LXXXIX. Atque ita, quantum instituti nostri ratio passa est, non solum eorum opiniones expendimus, qui gentilibus spem salutis æternæ faciunt ob gratiam & misericordiam divinam, sed & eorum vidimus doctrinas, qui hunc effectum justitiæ divinæ debent tantum non causati sunt, quippe quæ neminem ad impossibilia obliget, neque invincibili ignorantie ullum statuat reatum, quin potius legis naturalis observationi hujusmodi tribuat præmium; qui tamen parum attendunt, quod debita reddatur pena damnato, indebita gratia liberato, ut cum Augustino Epist. cy. loquamur. Superest eorum sententia consideranda, qui quamvis gentes in Christum non credentes damnationi æternæ non adjudicent,

cœlo tamen non inferunt, sed peculiarem eorum extra cœlum beatitudinis statum fore contendunt.

LXXIX. Philippus à Limborch Theol. Christ. libr. iv. cap. xi. §. ii. etiam si eò propendeat, *credibile esse, hominibus naturali lumine rectè utentibus, quibus in suo statu absq; ulteriori Evangelii luce oppetere contingat, salutem ob Christum, licet ipsis incognitum, ex superabundanti gratia donari, tamen si id nolimus, dicit, antequam divina bonitas eos ad inferni cruciatus damnare credatur, sicut triplex hominum in hoc ævo est status, credentium, incredulorum & ignorantium: ita etiam triplex post hanc vitam hominum status concedendus videtur: vita æterna, qui est credentium: cruciatum infernalium, qui est incredulorum: & præter hosce status ignorantium, quem licet expressè, qualis futurus sit, definire nequeamus, tamen à duobus prioribus esse distinctum, probabiliter ex Rom. II. 12. & Luc. XII. 47. colligitur.*

XXC. Hujusmodi statum medium Pelagiani quoq; parvulis sine baptismo & regeneratione defunctis assignabant: His enim tanquam non regeneritis, non justis, adeoque ad regnum Dei obtinendum non idoneis denegabant quidem regnum Dei, extra illud tamen vitæ & salutis æternæ locum ipsis concedebant; quò nomine ab Augustino non minùs, quàm à Gelasio I. Pontifice Romano sunt reprehensi. Vid. Forbesius Instruct. Historico-Theolog. libr. iix. cap. ii. §. 20. & libr. x. cap. v. §. 2. Interim tamen tale quid de adultis non audebant statuere, ut vel ex verbis Augustini §. lxxvii. à nobis adductis apparet. Sed hujusmodi status, qui post hanc vitam inter cœlestem beatitudinem & damnationem infernalem sit medius, nullum in Scriptura fundamentum invenit. Sicuti enim qui sunt in mundo, dispescuntur in credentes & non credentes, in justos & injustos, in benedictos & maledictos, neque inter hos Scriptura medium genus novit, ita præter statum salutis æternæ, & damnationis æternæ nullum alium medium statum agnoscit. Atque illum quidem nomine cœli, regni, vitæ designat, hunc verò appellatione inferni, ignis æterni, mortis secundæ, opprobrii & condemnationis describit. Vid. Dan. xii. 2. Matth. xxv. 34. 41. Marc. xvi. 16. Joh. iii. 16. 18. cap. v. 29. Adimeretur locus Matth. vii. 13. ubi duplicis tantum vitæ, & duplicis portæ fit mentio, quarum altera stricta & angusta est, altera spatiosa & lata: illa ad salutem, hæc ad exitium ducens. Matth. iii. 12. dupli-

duplicis tantum horrei fit mentio, in quorum alterum triticum colligendum, in altero autem palea igne inextinguibili erit exurenda. Hinc & Augustinus libr. I. de Remiss. peccator. cap. xxix. inquit: *Non est ullus ulli locus medius, ubi non sit cum Diabolo, qui non est cum Christo.*

XXCI. Admittere videtur Limborgius, non dari genus hominum, quod inter credentes & non credentes sit medium, quandoquidem hæc extrema contradictorias rationes involvunt; interim tamen non credentes dispescere videtur in *incredulos* propriè dictos, qui nempe gratiam conversionis & regenerationis sibi oblatam malitiosè repudiant, & Spiritui Sancto obluantur; & in *ignorantes*, quibus conversionis & regenerationis gratia non sit oblata, quique aded illam malitiosè non excusserunt, sed in sua ignorantia, (quam culpæ expertem esse causatur,) hære coguntur. Verùm enim verò quicquid hujus sit, tamen non solum *increduli* illi, sed & *ignorantes* manent in classe & genere non credentium, quorum status qualis post hanc vitam sit futurus ex Marc. xvi. 16. constat. Præterea dum Limborgius *ignorantes* & *incredulos* ita à se distinguit, falsò supponit, gratiam vocationis non omnibus esse oblatam. Omnino enim ea vel ipsis gentibus Christum huc usque ignorantibus immediatè obtigit, vel saltem in majoribus earundem. Porro etiam non satis causæ suppetit *incredulos* ab *ignorantibus* distinguendi: siquidem omnis incredulitas est ignorantia earum rerum, quæ firmò assensu sunt apprehendendæ, & in quas fiducia est reponenda; & vice versâ harum rerum ignorantia est ipsa fidei carentia, infidelitas & incredulitas, quique hæc ignorantia laborant, infideles & increduli vocantur. Hinc & fidei ista carentia sive incredulitas in Scriptura Sacra *ignorantia* appellatione venit, Act. xvii. 23. 30. Ephes. IV. 18. I. Petr. I. 9. 14. Sicuti & *arretia* Rom. XI. 32. & passim *cæcitas* ac *stultitia* appellatur.


XXCII. Quin tamen ignorantia illa in iis, qui sunt extra Christum Jesum, suos habeat gradus, ac proinde morali ratione diversimodè sit imputanda, neutiquam est dubitandum. Atque hinc est, quòd sicuti *beati omnes dissimili fulgore futuri sunt pares*, ut Paulinus in Natal. Felicis loquitur; Conf. I. Corinth. xv. 41. 42. ita


ita nec dubitandum est, ipsas poenas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, & alias aliis acriores, ut in ipso igne aeterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta poenarum; inquit Augustinus libr. IV. de Baptisma. contra Donatistas cap. XIX. Et libr. XXI. de C. D. cap. XVI. Nequam quam negandum est, etiam ipsum aeternum ignem pro diversitate meritorum, quamvis malorum, aliis leviozem, aliis futurum esse graviozem, sive ipsius vis atq; ardor pro poena digna cuiusq; varietur, sive ipse equaliter ardeat, sed non equali molestia sentiatur. Pertinent huc Scripturae loca Rom. II. 6. I. Corinth. III. 8. II. Corinth. V. 10. Matth. XI. 22. cap. XXIII. 14. Luc. x. 13. cap. XII. 47.

XXCIII. Quae cum ita sint, concludimus verbis Augustini libr. XXI. de C. D. cap. XVI. Quisquis cupit poenas evadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam justificetur in Christo, ac sic verè eranseat à Diabolo ad Christum. Etenim ut idem Augustinus libr. I. de Nat. & Grat. cap. II. ait: omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta, nullò modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi. Et rursus: Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum, quomodo bene vivere debeat, & ad bene vivendum sufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est, ergo evacuatum est scandalum crucis. Cur non etiam ego hic exclamem! imò exclamabo, & istis increpitabo dolore Christiano. Evacuati estis à Christo, què in natura justificamini, à gratia excidistis. Ignorantes enim Dei iustitiam, & vestram volentes constituere, iustitia Dei non estis subjecti, sicut enim finis legis, ita etiam natura humana viciosa Salvator Christus ad iustitiam omni credenti.

FINIS.







mere nugacibus libellis ad fastum, non a
compositis, verborum monstros (ipse
Meister Wörter) omnia involvens, dis-
cem ipsi prætulit *Bartholomæus Sclei*, qui
seculo in Polonia minore vixisse inscrip-
universalis ostendit. Horum fanaticas
strinas, & prodigiosam mixturam, post
novitate rei decepti, propagarunt. Qu-
rari meretur fanatica foemina *Antonietta*
Rüsselia in Flandria nata, quæ nihil se-
se, aut si quæ legerit, hæc cuncta per in-
mediatas revelationes ab ipso Deo accepit.
Quæ si vera sunt, non satis capio, quan-
tias omnes, artes, Academias, alto super-
nens, omnium cujuscunq; religionis Do-
ptis nugaces Pseudo-Theosophi Böhmi
rendos opinetur.

XXXVI.

Antiquissimam esse hypothesin de tri-
essentialibus Hieronymus indicat tribuerit
cleonitis, de quibus Lambertus Danaus
Augustini de hæresibus testatur, quod
ci natura & essentia constare dixerint, con-
quodam tertio. Eandem opinionem Ra-
Gerhardus Tom. VIII Loco de morte s.
partem essentialem Enthusiastarum plu-
ratione demum accedere, pleriq; à prim-
sed peccato suffocatam per regenerati-
tari somniant; Swenckfeldiani, Weigeli-
stæ essentialiam hominis intrinsece constit-
substantiam quidem esse fatentur, sed à

F 3

